Quęstio
DE PRIMIS,
AC SECVNDIS
INTENTIONIBVS

F. Irenæi Brasauoli, Ord. Min. Obseru. Sacræ Theologiæ Lectoris.

Ad Sereniſſimum
FRANCISCVM MARIAM
FELTRIVM A ROBORE II.
Vrbini Ducem VI. &c.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Io. Ant. Rampazettum,
M D X C I.

Ser.^mo ac Inuict.^mo

FRANC.° MARIÆ Feltrio à Robore II.

Vrbini Duci VI. Pisauri, ac Senogalliæ Domino; Montis Feretri, Durantisq; Comiti; Vrbis Præfecto, &c.



TEmporibus elapsis multinodas Scoti subtilissimi Doctoris super Porphyrij Vniuersalia questiones enucleatè enodaui: cùm autē de Primis, ac Secundis Intentionibus ibidem differere mihi frugi esset; nec hoc propter materiæ arduitatem exi-

guo opere (ſicut explanationis ſeries, ac cõtextus exigebat) efficere poſſem; eo de his intentionibus ſeorſum agere conſulto decreui. Quo opuſculo, Deo annuente, lucubrato, Typis depromere a diſcipulis meis quotidianis reſecrationibus coactus, in Serenitatis Tuæ nomine illud apparare conſtitui: ſic etenim illi tutorem, mihiq; potentiſſimum parare dominum, ac perinde tibi meam in te obſeruantiã ſignificare cupio: quam à teneris vnguiculis vſque ortum duxiſſe: hoc verò tẽpore maximopere pollere ſcias: nam dum infantia exacta puceraſcerẽ Patrem meum Serenitatis tuæ beneficiarium, tùm omnium diſciplinarum gemmas, quibus (ſummæ laudis fulgore manante) fulges; tùm innumera officia, ſtudiaq; ipſi præſtita, ad tui

amo-

amorem me attrahentia, sæpenumero denarrantem attentè audiebam: verùm vbi ad prouectiorem ætatē perueni, historiarum, ac in quarumlibet disciplinarum genere instructorum (quorum semper studiosus fuisti) relatione, tuam maximam humanitatem, singularem probitatem, eximiá ad colendam virtutem animi propensionem, cæteraq́ue huiusmodi (mihi enim in Patrem meū merita tua pro nunc omittere fas sit; ob quæ tamen, cum quantum officij sustineo calleā, tibi obsequentissimus semper ero) longe maiora esse, quàm puerili animo excogitare concessum erat, omnino cognoscens, ita allectus sum, vt ingenti desiderio tibi viuendi ac incumbendi nunc vt cum maximè me flagrare continuo experiar: eoq́; ma-

gis quod ne modo in ſcientijs, at nec in nobilitate, in arte ve militari aliquem tibi præſtare, aut mihi, aut cuiquam ambiguũ eſſe minimè poteſt: cum enim virtutum tuarum faſtigiũ (quod ita ſuſtuliſti, vt nullus tui mentionem ſine ſua ſumma laude facere queat) nec Sereniſſimæ Stirpis tuæ ſplendor, ex qua tot Illuſtriſſimi quot ex quauis altera præclariſſima familia prodiere viri; nec quomodo infinitum Turcharum munerum inuicta dextera tua per ſanguine rubeſcentes naumachiæ vndas Orcum petere coegiſti, vadoſiſſimum Gangem; vel vltima Heſperiæ litora lateat. Eia age igitur hanc optionem, hanc in te obſeruantiam meam ab ineunte ætate pullulantem, nunc verò ſummè vigentem; ſimul etiam munuſculum

hoc,

hoc, non quale velē, at quale possum, seruitutis meæ monumentum, ne in minimis ponas; sed vt mihi, illiq; sub virtutum, ac imperij glandiferæ Roboris tuæ vmbra patrocinium arripiendo, foueas, supplex rogo atq; deprecor: quod si, velut benignitati tuæ fisus censeo, fore sensero, tibi vt me maioribus accingam caussam contrahes.

Serenitatis tuæ

Humillimus, ac obs.mus seruus

F. Irenæus Brasauola.

Index ARTICVLORVM HVIVS QVÆSTIONIS.





Index
RERVM NOTABILIVM IN HAC QVAESTIONE CONTENTORVM.



Actus

C

D

Intentio

L

M

N

O.

P

Q

R

S

T

V



Quæſtio
DE PRIMIS, AC SECVNDIS
Intentionibus.

In qua,

QVID VTRAQVE SIT,

DECLARATVR.

Auctore, Fratre Irenæo Braſauolo, Ord. Min. Obſeruantium.



ETSI quàmplurimos viros vndequaque doctos de Prima, ac Secũda Intentione libros compilaſſe apertũ ſit: attamen & ego inter Olores obſtrepere audeam. Quæro igitur:

VTRVM *prima, ac ſecunda intentio ſint conceptus reales; quorum nomina a primæ, ac ſecundæ impoſitionis nominibus non differant?*

Videtur quòd non. Et primò, quòd neutra earum sit conceptus. Nam conceptus est aggregatum per accidens ex obiecto, ac concipi passiuo, vt vult Bonetus: sed prima intentio non est tale aggregatum per accidēs, vt ab omnibus conceditur: ergo prima intentio nō est conceptus. Similiter hoc idem videtur de secunda intentione. Tum quia non est tale aggregatum per accidens; aliter enim de ipsa non esset scientia. Tum quia communiter dicitur conceptū esse quicquid terminat actum intelligendi: secunda autem intentio, inquantum talis, non terminat actum intelligendi, licèt benè actum intellectus per quē producitur: quoniam aliter secunda intentio, inquantum secunda, esset prima; esset enim, inquantum talis, sub cognitione passiua, quæ consequitur ad terminationem actus intelligendi; quod est manifestè falsum: ergo secunda intentio non est conceptus.

Secundò, videtur primam intentionē esse ens rationis, & non reale. Quoniam quodlibet constitutum ex enti reali, ac ente rationis, totum est ens rationis. secundum Frācīscum in suo conflatu. q. 2.

pro-

prologi. Hocq; huiusmodi ratione persuaderi potest. Denominatio quandoque sequitur debiliorē, ac imperfectiorem partem, vt patet de homine, qui ratione corporis (quod est ignobilior pars) dicitur corruptibilis: cum igitur ens rationis sit ignobilius ente reali, cōstitutum ex eis dicetur ens rationis: sed prima intentio constituitur in esse per concipi passiuū, quod est rationis, quia est inter extrema; quorum saltem alterū habet esse per intellectum: igitur prima intentio est ens rationis. HVIVS oppositum videtur de secunda intentione. Nam quicquid inuenitur in rerum natura est ens reale, quia non fabricatum ab intellectu; sed secunda intentio inuenitur in rerum natura: ergo secunda intentio est ens reale. Probatur minor. Indiuiduum est secunda intentio, & tamen cōuenit Socrati circunscripto omni opere collatiuo intellectus; quia & sic conuenit sibi nō posse esse in pluribus: ergo secunda intentio inuenitur in rerum natura. Præterea: Quicquid est effectiuè à causa reali, est ens reale; sed secunda intētio est effectiuè ab intellectu, qui est causa realis: ergo secunda inten-

tio est ens reale. Maior probatur per illā famosissimam propositionem. Conueniens fit à cōuenienti genere vel spetie, & ideo nihil agere videtur vltra suam spetiem, vel genus; si igitur causa realis, & effectus realis. Minor probatur. Nam Scotus cum de productione secūdarum intentionum loquitur, vtitur vocabulo causæ, vide 1.d.23.& 2.d.1 q.1.& d.3.q.2. ac q.4. vniuersalium, & in sua Grammat. speculatiua p̄notato.2. & 5. alibiq; sępè.

Tertio videtur nomina primæ, ac secundę intentionis nō differre à nominibus primæ ac secundæ impositionis. Eò quoniam. Quodlibet nomē significans modum pręcisio est secundæ impositionis; & quodlibet non significans modū pręcise est nomen primæ: sed quodlibet nomen secundæ intentionis significat modo præcise, quia quęlibet secunda intentio est modus precise vel intelligendi, vel significandi, &c. & quodlibet nomen primæ intentionis non significat modum precisè: ergo quolibet nomen secundæ intentionis erit nomen secundæ impositionis; quodlibetque primæ intentionis erit primę impositionis: nō igitur ista nomina differunt.

Ad

Ad oppositum primi est Doct. 1. d. 23. dicens, primam intentionem esse conceptum, &c. Item in Theorematibus vult, quòd illud idem, quod à nobis conceptus vocatur, ab Arabis intentio appelletur. Item quicquid terminat actum intellectus, (vel talis actus sit actus intelligendi de genere qualitatis, vel sit actus intellectus de genere actionis) potest dici conceptus: cum igitur secunda intentio terminet actum intellectus per quē causatur, dici poterit conceptus.

Ad oppositum secundi est, quia scientiæ reales essent scientiæ rationales: & è conuerso dicendum tunc esset de rationalibus: cuius impossibilitas luce clarior est. Vel saltem nec essent rationales, nec reales.

Ad oppositum tertij est. Nomen secūdæ impositionis est nomen nominis, sed non quodlibet nomen secundæ intentionis est nomen nominis, vt de logicalibus patet; ergo &c.



Articulus Primus.



In ista Quaest. erunt septem Articuli:
Quorum primus erit;

An Intentio, & Conceptus differant?

Videtur ꝙ sic. Nam quęcunq; de aliquo æquiuocè dicuntur, differũt inter se: sed intentio, & conceptus æquiuoce dicuntur de obiecto: ergo intentio & conceptus inter se differunt. Maior patet: quia da oppositum, ꝙ dicta de aliquo ęquiuocè non differant, tunc cuicũq; cõuenit ratio vnius, eidem conueniret etiam eadẽ de causa, & ratio alterius; hoc tamen est falsum in ęquiuocè dictis de aliquo: ergo &c. Minor probatur: sub alia, & alia ratione obiectum dicitur intentio, & cõceptus; vt enim est sub concipi passiuo, dicitur intentio: vt verò cum cõcipi est aggregatum, dicitur conceptus: quæcũq; autem sub diuersis rationibus de aliquo dicũtur, æquiuocè de illis dicuntur; si igitur sub alia & alia ra-

ratione intentio & conceptus dicuntur de obiecto, æquiuocè de illo dicuntur. Ad oppositum tamen est; quia illud idē, & eadem ex causa, qua dicitur intentio, dicitur etiam conceptus: ergo intentio & conceptus nō differunt. Probatio antecedētis. Aliquid dicitur intentio; quia terminat actū intellectus: similiter hac eadem ex causa illud idem dicitur conceptus, cum conceptus dicatur quicquid terminat actum intellectus. *Ad oppositum.*

Iuxta hoc quæro: *An intentio, & conceptus sint entia per se?* Videtur ꝙ non de cōceptu; Nam omne aggregans in se diuersas naturas, quarum vna non se habet vt per se actus, & altera vt per se potentia, est ens per accidens: sed conceptus est aggregatus ex obiecto & passiua cōceptione: ergo conceptus non est ens per se. Vlteriùs; cum probatum sit intētionem ac conceptum nō differre: si conceptus non est ens per se, ergo nec similiter intentio erit ens per se. Oppositum tamen ex infra dicendis in hoc, ac in tertio articulo clarum erit. Circà huius dubij solutionem sic procedam. Primò, intentionem diuidam, & hoc ne in æquiuocis laboremus. Secundò, quorundam respon- *Ordo seruandus.*

sionem proponam, ac impugnabo. Tertiò, aliter ad dubium dicam. Vltimò duo dubia examinabuntur. Ex quibus omnibus clarum erit quid ad argumenta ante oppositum dicendum sit. Quoad primũ dico, Intentionem capi posse vel formaliter, vel obiectiuè; & est diuisio equiuoci in sua equiuocata. Intentio formaliter est quicquid tendit in aliud; & hoc, vel vt quod, vel vt quo; hisq; modis potẽtia, actus, & habitus intentiones vocantur. Intentio obiectiua est obiectum, seu ratio formalis obiectiua sub qua, & ꝑ quã: & hoc ne dum loquendo de obiecto intellectus; sed etiam de voluntatis, ac sensus obiecto: quodlibet enim harum potentiarum obiectũ dici potest intentio, quia etiam quælibet tendit in illud, suo modo. Nõ enim similis modus in aliud tendendi, his potentiis conuenit; quædam enim habet ex se, vt possit tendere in aliud vt voluntas, quedam autem hoc habet ab alio, vt intellectus & sensus. Sed hæc diuisio in sequenti arbore erit clarior, ac vberior.

Intentionis diuisio.

Intentio qr' in fine libri arborem.

Hac præhabita distinctione, Dico, Intentionẽ in hac tota quęstione capi obiectiuè, pro omni eo in quod tendit intellectus; vel sit præsuppositum, terminansque actum intelligẽdi; vel sit causatum, ac terminans actum comparatiuum, aut productiuum intellectus. Hoc eodẽ modo accipio conceptum, ipse enim æqualiter vt intentio partiri potest. Ad dubium modo discutiendum accedamus. Ad quod dicitur, Intentionem & conceptum differre. Nam intentio est obiectũ sub concipi: conceptus verò est obiectũ cum concipi: at inter obiectum sub concipi, & obiectum cum concipi est non parua differentia: velut & inter hominẽ sub albedine, ac hominem cũ albedine; primo enim modo est ens per se, secundo verò per accidens: ergo intentio, ac conceptus differunt. Per hæc dicitur ad illud quod iuxta hoc quærebatur, Intentionem esse ens per se, conceptum verò per accidẽs; quia est aggregatus ex diuersis non se habentibus inter se, vt per se actus, ac per se potentia. Queres duo. Primò quid est concipi passiuum? Dicitur esse ens rationis passiuè derelictum in obiecto per attactum vel contactum vigoro-

Quorundam opinio.

Concipi, quid.

gorosum potentiæ intellectualis applicatæ ad ipsum. Pro huius definitionis intellectu; scias duplicem esse contactũ, mathematicũ scilicet, & vigorosum, seu virtualem. Mathematicus contactus est, cum extrema sic se tangũt, quod eorum vltima sunt simul, hocque partes lineæ, ac corporis dicuntur se tangere. Contactus verò virtualis est cum agens virtutẽ habet supra passum: quo contactu Solẽ tangere ista inferiora dicimus. Vnde ad hoc vt agens, seu mouẽs effectiuè (quod dico ad differentiam agentis, vel mouentis formaliter precisè; vt est caliditas: & ad differentiam mouentis formaliter effectiuè, vt fortè sunt formæ receptæ in motibus proiectorum, & violentorum, quæ omnes sunt in passo, seu moto contactu mathe.) agat, seu moueat, non est necesse vniuersaliter esse simul, seu tangere passum contactu mathe. sed semper benè necesse est vt simultate, ac contactu virtuali illud tangat, simulque cum eo sit; quia si agens non haberet virtutem supra passum, & mouens supra motum, non posset, illud mouẽdo, agere. Hoc igitur modo dicimus intellectum tangere obiectum: habet enim virtu-

Cõtactus mathem. quid.

Cõtactus virtualis quid.

virtutẽ ſupra obiectum, quia ne dũ poteſt illud facere de potentia intelligibile actu intelligibile, transferendo illud de ordine materialium ad ordinem ſpiritualium: ſed etiam quoniam poteſt illud facere de potentia intellectum, actu intellectum: & quotieſcunque intellectus tangit (ſaltem hoc ſecundo modo) obiectum, ſemper iuxtà hunc modum dicendi, in ipſo derelinquit quendam reſpectum rationis, qui dicitur concipi paſſiuum; quo obiectum conceptum refertur ad intellectũ concipientem. Quæres etiam quæ differentia eſt inter obiectum ſub concipi & cum concipi? Dico ly ſub denotare ſubiectionem tãtum, & non compoſitionem: & ideo homo ſub albedine eſt ens per ſe, quemadmodum erit & obiectum ſub concipi. Sed ly cũ in propoſito importat nedum ſubiectionem, at etiam coniunctionem: coniuncta autem non cõſtituunt vnum per ſe, niſi vnũ ſe habeat vt per ſe actus, & aliud vt per ſe potentia: cum igitur hoc modo non ſe habeant obiectũ & concipi, quia nec ſunt eiuſdem generis: ideo obiectũ cum concipi erit aggregatum per accidens, velut & homo cum albedine. Sed

Aliud dubium.

Differentia inter obiectum cũ concipi, & ſub concipi.

contra

Contra. contra hunc modum dicendi arguo. Nõ enim videtur maior ratio de conceptu, quàm de intentione, quòd sit obiectum cum concipi: nam ita intentio videtur esse nomen concretum, velut & conceptus. Probatur: quicquid dicitur de cõcreto est concretum; quia abstractũ non potest dici de concreto propter repugnãtiam modorum significandi; sed intentio dicitur de genere, quod est concretũ, quia inquantum tale concernit rẽ cui est applicabile: ergo intentio est nomen cõcretum. Preterea: quicquid terminat actum intellectus dicitur intentio, & similiter quicquid terminat actum intellectus dicitur conceptus: ergo intentio & conceptus non differunt. Præterea; si conceptus esset obiectum cum concipi, & intentio obiectum sub concipi: ergo intẽtio esset quasi pars conceptus, quod non videtur dicẽdum. Preterea, Doctor in Theorematibus asserit Arabes intentionem vocare, quod nos cõceptum nominamus, at hoc dicendum minime esset, si intentio & cõceptus illo modo differrẽt. Propter igitur has rationes teneo intentionem, ac conceptum non differre, hoc modo. Quæres an intentio & cõceptus

Intentio est nomẽ concretũ

Alia opinio.

ceptus dicant obiectum sub concipi, vel cum concipi? Dico quòd si tenere volumus obiectum dici intentionem ac conceptum denominatione extrinseca, velut innuere videtur illa communis conceptus definitio, quæ dicit conceptum esse quicquid terminat actum intellectus; tunc intentio, & conceptus obiectum sub concipi, vel cum concipi, nequaquàm dicūt, cum nullo modo sit in eo talis relatio. Quæres, refertur ne tunc ad actionem intellectus intentio? Dicēdum est ipsam non referri per se, sed tantum per accidens: quomodo quidā non habent pro incōuenienti aliquid referri relatione non existente in ipso. si verò denominatione intrinseca res dicatur intentio, tunc dicendum est potius intē tionem esse rem sub concipi, quàm cum concipi. Probatur quia intentio, vt de ea loquunt doctores, est ens per se, obiectū autem & concipi non constituunt vnū ens per se: ergo intentio non est obiectū cum cōcipi. Maior patet; nam cum quærunt an ens dicat conceptum vniuocum &c. certum est ipsos accipere conceptū vt est ens per se, cum aggregatū per accidens non sit alicui vniuocum. Minor Dubium Dubium

verò probatur, quia obiectum & concipi non se habent vt per se actus, ac per se potentia. Posses tamen dicere intentionem propriè esse obiectum cũ tendentia obiectiua: cõmuniter tamen doctores eam, ac cõceptum pro substracto accipiunt, & hoc modo sunt entia per se. sed cõtra prędicta posses duo obijcere.

Obiectiones. Primò contra illud quod dictum est, intẽtionem scilicet sic dici, quia terminat actum intellectus: Contra qualitati non assignatur aliquid pro termino; actio verò intellectus est qualitas: ergo sibi nequit assignari aliquid pro termino. Secundò contra illud quod diximus iuxtà secundum modum dicendi, intentionẽ scilicet esse obiectum sub cõcipi. Cõtra actionis, ac relationis terminus est absolutum 35.d.1.ac 30.q.1.vnde licet quandoque terminetur relatio ad relatiuum, non tamen hoc est quatenus relatiuum, quia non sub relatiua, sed sub absoluta ratione: at intentio terminat actionem intellectus, ergo est ens absolutum; sed si esset obiectũ sub cõcipi, esset ens respectiuum: ergo nec terminus actionis intellectus, nec per consequens intentio.

Ad primum dici potest, qualitati ratione,

ne, qua qualitas est, terminum assignandum non esse; probo quia aliter qualitas ratione qua qualitas esset ad aliquid, quod impossibile est, cum prædicamenta sint impermixta. Ratione tamen respectus annexi qualitati terminũ assignare nullum inconueniens est, sicquè intentio dicitur terminare actionem intellectus. Ad aliud obiectum dico, cùm cuiuslibet relationis terminus sit absolutum, idcirco tendentiæ formalis terminus erit absolutum, quod equidem absolutum, est esse intentionis obiectiue: quod autem esse intentionis sit absolutum, potest ostendi per ea quæ dicit doctor in primo de esse cognito, vide ipsum vt nosti. Et hoc esse intentionis concommitatur relatio, quæ vocatur tendentiæ obiectiuæ respectus: poniturquè in obiecto, sicut formalis tendentia in intellectu, non præcisè propter intellectionẽ: vt habet Doctor. 35. d 1. sed vel ob mutuam coexigẽtiam, & hoc si est mutua relatio inter obiectũ & intellectum, vel propter dependentiam in altero extremo, & hoc si non est mutua. Hecquè relatio esse intentionis concomitans, licèt non constituat esse absolutum intentionis, quẽadmo-

Qualitati, quomodo terminus assignari potest.

Ad aliũ obiectionem.

admodum nec creatio passiua cõstituit hominem in esse substantiæ; nihil enim dat quod non habet, nec substantia ex non substantijs componi potest. primo Phy. tamen constituit rem in esse relatiuo intentionis, vt & creatio passiua constituit hominem in esse creaturæ; & hoc videtur probabile: nã cuilibet quod correspondet suum quo. Ex his sequitur intentionem habere duo esse, absolutum scilicet, & respectiuum: Modo si accipiatur intentio pro esse absoluto intentionis, verum est tendẽtiam formalem terminari ad intentionem; vt & paternitas dici potest terminari ad filiũ, quoniã ad eius esse absolutum; sicq; loquẽdo accipit intentio ac filius ꝑ absoluto vtriusq;. & hoc modo communiter capitur à doctoribus intentio, ac cõceptus: si autem de intentione sermonem facimus, vt aggregat in se absolutũ ac tẽdentiam obiectiuam, sic dico ipsam esse correlatiuũ, & non terminus tendentiæ formalis.

Dubium

Tendentia passiua, qua relatio.

Quæres: An ista relatio tendentiæ obiectiuæ sit realis, vel rationis? Dico esse relationem rationis: non tamẽ volo ipsam esse rationis, eò quòd derelicta sit à ratione, vt putarũt aliqui, & malè; inest enim

ex-

extremis in tali esse ratione extremorũ; sed est rationis, quoniam est inter extrema, quorum saltem alterũ (scilicet obiectum in esse intentionis, quod ponitur eius fundamentum) habet esse per intellectum. Per hæc ad argumentum dico intentionem capi posse tripliciter; vno modo pro formali, estquè tendẽtia obiectiua; Alio modo pro substracto, & est quidditas cognita, ad quam terminatur actus intellectus; Tertio modo pro aggregato ex vtroque: si capiatur secundo modo sic terminat tendentiam intellectus, & non est respectiuum, sed absolutum quodam. Acceptaq; hoc modo, definitur sic. Est quicquid terminat actum intellectus; & hic capitur actus intellectus, vt cõmunis est ad intellectus actionem, &ad actum quo derelinquitur, seu producitur secunda intentio. Cum verò definitur, Est omne actu intellectum, seu omne habens relationem actualem ad intellectum, capitur intentio, ac conceptus tertio modo pro aggregato. Quæres, An illud aggregatum sit ens reale, vel rationis? Dicẽdum est iuxta regulam Fran. 2 q. prologi. Omne constitutũ ex ente reali, & ex ente rationis totũ esse

Intentio potest tripliciter capi.

Dubium

ens rationis; cum igitur intentio tertio modo sit aggregata ex ente reali, & ex ente rationis, ideo erit tota ens rationis. Vel dicas ipsam nec esse ens reale, nec rationis, sed ex vtroq; aggregatū. Per hæc ad aliud in initio huius articuli quæsitū, dico, si intentio & conceptus sic extrinseca denominatione dicantur, tunc clarum est esse entia per se. Si autem intrinseca donominatione, dicantq; rem sub tendentia obiectiua: Tunc sunt quoque dicenda entia per se, sicut homo sub albedine; patet quia non componit tunc cum esse absoluto intentionis si verò dicat rem cum tendentia, sic accepta intentio duobus primis modis est ens per se; Doctores tamen de ea loquuntur ferè semper secūdo modo, vt dixi: sed tertio modo est aggregatum per accidens. Remanent vltimo loco duo dubia discutiēda. Primum quorum est, An quodlibet vt mouens intellectum, conceptus dici debeat? Secundum erit, An potentia intelligibile, ac potentia intellectum possit dici conceptus, ac intētio? Pro primi dubij respōsione duo suppono. Primo: Mouere, & terminare esse rationes distinctas in obiecto: quia primum sine se-

Alia responsio.

Ad secūdum dubium huius art.

Duo dubia.

Quodlibet vt mouens intellectum an dici debeat cōceptus?

cun-

cundo, & è conuerſo eſſe poteſt. Valet enim Deus mouere intellectum creatũ ad intelligendũ geometricalia: & tamen tunc non ipſe Deus, ſed geometricalia actũ illum intellectus terminabunt. Etiã ſimiliter ſecundæ intentiones terminãt actum intellectus, quem attamen moue re nequaquàm poſſunt. Harumq; rationum prima ſuppleri poteſt, non autem ſecunda: nam & prima eſt obiecto accidẽtalis, ſecunda verò eſſentialis: ac ideo propriè non prima, ſed ſecunda eſt conſtitutiua obiecti in eſſe. Secundo ſuppono, conceptum vocari quicquid terminat actum intellectus: & non quicquid mouet intellectum: ac ideo de ratione conceptus nõ eſt mouere, ſed terminare tantum. Hic ſuppoſitis, dico. Quòd ſi ly vt accipiatur redduplicatiuè, tunc nulla res vt mouens intellectum debet dici conceptus. Probo, quia cũ q̃libet redduplicatiua ſit vniuerſalis formaliter, vel virtualiter: ergo ſi aliquod vt mouẽs intellectũ eſſe ꝯceptus; quodlibet mouens intellectũ conceptus dici deberet: tuncque Deus mouens intellectum creatum ad geometricalia intelligenda eſſet conceptus: quòd tamen eſt falſum, cum nõ

Mouere, & terminare ſunt rationes diſtinctæ in obiecto.

Cõceptus quid.

ipse, sed geometricalia apprehendantur ac concipiantur. Si verò ly vt specificatiuè accipiatur, tunc ista affirmatiua est vera. Quodlibet vt mouēs intellectum est conceptus. Probatur, qa q̄uodlibet mouens intellectum, potest eius actum terminare, vt satis clarū est discurrēdo per omnia mouentia intellectum: ergo &c. Ad secundum dubium respondendo, similiter aliqua proponam. Primo dico, potentia intelligibile, & potentia intellectum differre; nam quod est actu intelligibile, potest esse potentia intellectum, non autem potentia intelligibile: vnde illud est actu intelligibile quod per speciem intelligibilem est repręsentatum; & dicitur actu intelligibile, quia tunc est proportionatum mouens respectu intellectus possibilis. Et vt breuius dicam. Quicquid est in potentia ꝓpinqua vt possit intelligi, est actu intelligibile, & potentia intellectum. Illud verò dicitur potētia intelligibile, quod habet esse in fantasmate repræsentatum. Quæres quare hoc dicitur potentia intelligibile? Dico, quod cum intellectus sit immaterialis, & inextensus, tale autem relucens in fantasmate sit materiale & ex-

Potentia intelligibile, & potentia in intellectum differunt

Potentia intelligibile, quid.

Dubium.

extensum, ideo illud tale non potest in potentia propinqua, sed tātum in remota mouere intellectum; & ita dicitur potentia intelligibile, quia non est de numero mouentiū propinquè intellectū. Secundo dico ex Theorematibus Scoti. Conceptum esse omne actu intellectū, prout scilicet est in intellectu, nō vt forma, sed vt actu cognitum. Vt hoc intelligas, notandum aliquos existimasse conceptum esse ipsammet intellectionem. Aliqui etiam voluerunt conceptum esse spetiem intellegibilem Nonnulli etiā tenuerunt conceptum esse veram rē sequentem actum intellectus, & existentem similitudinem rei: secūdumq; istos conceptus erit in intellectu vt forma, qa intellectio, species, & illa vera res sequēs actum intellectus est in intellectu. Scotus modo nō tenet aliquam harum opinionem, cum sint falsæ. Probatur de prima, ac secunda simul. Nam conceptus est quod cōcipitur, intellectio autem & species non est quod, sed est quo aliquid concipitur: ergo conceptus non est ipsamet intellectio, vel species. Tertia opinio similiter est falsa. Quoniā quicquid est in intellectu vel est actus, vel habit⁹,

Cōceptus quid.

Opiniones de cōceptu.

Cōceptus non est intellectio, nec species.

vel passio, sed illa res nullū istorū posset poni;ergo &c. Hac igitur de causa vult Scot. conceptū non esse in intellectu,vt forma, sed vt actu cognitum. Quæres: Quid est esse in intellectu vt actu cognitum? Dicit Scotus vbi supra; quòd est, habere relationem actualem ad intellectum,siue intellectus ad ipsum,vel vtriusque ad vtrunque. His notatis, Ad propositum dubiū per duas propositiones respondeo. Prima est, Potentia intelligibile non potest dici conceptus. Probo, quia tale nō est in intellectu, vt actu cognitum, quemadmodum diximus esse conceptum. Secunda propositio sit. Potentia intellectum non est conceptus propriè. Probo. Nam conceptus (vt supra diximus) est omne actu intellectū; potentia autem intellectum nō est actu intellectum, ergo nec etiam conceptus. Ex his infero corripiendos esse existimātes primam intentionem esse obiectum ne dum cognitum, sed etiam cognoscibile: quoniam tale obiectum (vt clarum est ex iam dictis) nō est actu cognitum, ergo nec cōceptus, nec intentio, nec per consequens prima intentio. Potest tamē ad oīa ista dici intentionē dupliciter capi posse,

Quid est esse in intellectu, vt actu cognitum

Potentia intelligibile non posse dici conceptus.

Potentia intellectū non est cōceptus.

Obiectū cognoscibile nō potest dici prima intentio.

Intentio, dupliciter.

posse, strictè, & largè. Intētio largè est q̄-libet res cognita, vel cognoscibilis, vel quæ aliquando fuit sic. Hocque modo multi loquuntur de intentione. Intentio autem strictè non est, nisi res actu terminans tendentiam intellectus. Ex his omnibus clarum est quid ad argumentum ante oppositum respondendum sit.

Articulus Secundus.

Secundum dubium enucleandum est,

An nomen primæ, secundæque intentionis differant à nomine primæ, ac secundæ impositionis?

TAlem mihi in hoc articulo seruandum ordinem prefigo. Primo quæ nam sint intentiones, nominaq; ista in problemate posita aliqualiter aperiam; vlterior enim declaratio erit in penultima parte. Secundo loco cuiusdam respō sionem impugnabo. Tertio aliter respō-debo. Vltimo quasdam difficultates è medio tollam. Dico igitur intentionē, non pro formali, (de ea enim nō ad presens) sed obiectiuè acceptam, nomenq; *Ordo seruandus.*

Nomen primæ, ac secundæ intentionis, & intentio differunt. tam primæ, quàm secundæ intentionis differre; probo: signum ac signatum differunt, velut quodlibet relatiuum & terminus eius: at nomen vtriusq; intentionis est signum; intentio autem signata: ergo intentio a suo nomine diuersa est. *Intentio, quid.* Intentio est res quam imponens tale nomen significare intendit: seu intētio est huius termini significatum. *Nomē intentionis quid.* Nomen verò intentionis est dictio ad placitum intentionem significans; quod inferius diuidetur in primæ ac secundæ intētionis nomen. *Nomen primæ, ac secundæ impositionis, quid.* At nomen primæ impositionis (vt in cōc dicitur) est nomē rei, ac corū, q̄ rei attribuuntur vel affirmatiuè, vel negatiuè, vel priuatiuè: nomen aūt secūdæ impositionis est nomen nominis, ac eorum quæ nomini attribuuntur. His pro quadam terminorum notitia precognitis, raptim ad dubitationem discutiendam accedamus. *Responsio Henrici.* Ad quam ab Henrico Gandauensi in Quodlibetis. Quol. 5. q. 6. dicitur. Nomina tam vniuersalium, quę sunt primæ intentionis; quàm singularium, quæ propriè sunt res; cōmuniter nomina primæ impositionis vocari. Huiusq; rationem vult esse, quòd rebus immediatè imponūtur: ꝓpter quod etiam

dicit

dicit ipsa nomina rerum appellari. Nomina verò secundarum intentionũ seu ad logicam, seu ad grammaticã spectantium, secundæ impositionis nomina dici existimat: eo quoniam ait, sunt imposita non rebus, sed nominibus rerũ vniuersalium, ac singularium, quę primò ad illas res significandas sunt imposita. Pro huius tamen amplioris intellectu, vt cognoscamus quid, & cuius nomẽ primæ, quidquè, ac cuius nomen secundę impositionis dici debet, notatũ relinquit idẽ Henricus quol. 9. q. 3. Quodlibet, conceptum ab intellectu, aut vt rem præcisè, aut præcisè vt modũ, aut vt modũ à re characterizatum ꝯceptũ esse. Quod primo modo cõcipitur, semper inquantum huiusmodi per nomẽ primæ impositionis significatur: & hoc siue illud significatũ fuerit vera res naturæ; siue res à ratione ficta, siue ueræ rei negatio. Quod verò secundo modo concipitur, semper, quatenus tale, per secundę impositionis nomẽ significatur: itaq; indiuiduum, subiectũ, prædicatum, ac cætera huiusmodi nomina modum præcisè significantia erunt secundæ impositionis. Quod autem tertio modo apprehenditur, vt sic conceptum,

Cuius est nomẽ primæ impositionis.

Cuius est nomen secundæ impositionis

tum,

Cuius et est nomẽ primæ impositionis

tum, per primæ impositionis nomen sẽper significatur huiusq; ratio est ipsa characterizatio modi. Quæres à quo modus characterizatur? Dicitur quãdoq; ipsum à re extra animam existente, circa quam est, characterizari; vt simile, ac dissimile. Aliquando autem a re in anima existente: vt dextrum ac sinistrum in columna, non ab aliquo in columna existente, sed ab eodem a quo dextrum sinistrumq, in animali, characterizantur. Quandoque etiam modi characterizationem ab eo quod habetur fieri contingit; vt calceatum; atque vestitum esse. Hanc opinionem ad quattuor dicta redigo: ex quibus quid ad huius articuli quęsitum, iuxta huius viri principia respondendum sit, aperiam. Primum sit. Nomen primę intentionis est dictio immediatè ad vniuersale, ac singulare, pro subtracto accepũ, atq; ad modũ à re characterizatũ significãdum imposita. Secundũ dictũ sit. Nomen primæ impositionis est dictio præcisè res veras, vel fictas, vel rei veræ negationem; atque modum à re characterizatum significans. Tertium sit. Nomen secundæ intentionis tam logicalis, quàm grammaticalis est dictio imposita

A quo mod⁹ characterizatur.

Nomen primæ intentionis quid.

Nomen primæ impositionis quid.

Nomẽ secundæ intentionis quid.

posita ad significandum nomina vniuersalium, ac singularium, res reales existentium: vnde secundum hunc Doctorem quol. 9. q. 3. omnia nomina modos præcisè significantia, secundarum intentionum nomina appellantur. Quartum sit. Nomen secũdæ impositionis, est dictio ad nomina primò importantia rem realem significanda imposita: & breuiter, est quælibet dictio modũ præcisè significans. Per hæc patet quid ad huius articuli quæsitum dicendum sit. Ex duobus enim prioribus dictis sequitur, nomina primæ intentionis, primæq; impositionis non differre. Probatur nam ambo aut veram, aut fictam rem, aut eius negationem, aut modum à re characterizatũ significat. Ex duobus autem vltimis dictis sequitur, inter nomina secũdæ intentionis ad logicam, ac grammaticam attinentis, interq; nomina secundę impositionis nullam esse differentiam. Probatur: ambo enim modum præcisè significant. Contra sic opinantem arguo, atq; ostendo nomina logicalia non esse nomina secundæ impositionis. Nomen secundæ impositionis est nomẽ nominis; sed nomen secundæ intentionis logica-

Nomẽ secũdæ impositionis quid.

Respondetur ad dubium huius art.

Contra Henricũ.

lis,

lis, ratione impositionis nomē, vel eius proprietatem, aut conditionem minimè significat: ergo nomen secundæ intētionis logicalis non est nomen secundæ impositionis. Maior ab ipsomet opinante, ac communiter à cæteris omnibus conceditur. Minor verò probatur sic. Illud pro quo vox ratione institutionis primo supponit, significatur primò per vocem: at nomen logicale ratione institutionis primo supponit pro re rationis, & non pro nomine rei realis, seu ꝑ aliqua eius proprietate, aut conditione; ergo logicale nomē ratione impositionis primo rem rationis, & non nomen, vel aliquid eius significat. Huius prosyllogismi primo maiorem probo. Pro quo imponens vtitur voce, primo ratione institutionis vox supponit; pro illo autē pro quo vox primo ratione institutionis supponit, imponens vtitur voce: ergo illud ꝑ quo vox ratione institutionis primo supponit, significatur primo per vocē. Minor eiusdem prosyllogismi probatur. Nam in propositionibus, in quibus modus intelligendi de alio modo intelligendi prædicatῖ, vt dicendo genus est species, vniuersale est genus, accidens

est

est vniuersale, ac in cæteris huiusmodi, semper subiectum, ac prædicatum pro ente rationis supponunt, & non pro nomine rei realis; & hoc siue prædicatum accipiatur vt modus, & subiectũ vt quid, siue è conuerso, siue vtrunque vt quid, siue vtrunq; vt modus: si igitur in propositionibus nomina logicalia subijciũt, ac prædicant non nomen rei realis, sed rem rationis: ergo etiam extra propositiones significant rẽ rationis: subiiciunt enim, ac prædicant id, quod primo significant. Confirmatur ista probatio; nam aliter illæ propositiones essent falsæ: si enim vniuersale significat nomẽ rei realis, ergo cum dico vniuersale est genus, sensus esset nomen rei realis est genus: quod tamen est falsum. Præterea ostendo non quodlibet nomen secundæ impositionis esse nomen secundæ intentionis: Quia hoc nomen Tetragrammaton est nomen secundæ impositionis, cum sit nomen nominis Dei: at non est secundę intentionis nomen, vt clarũ est; ergo &c. Præterea falsum est characterizationem modi facere nomen modi esse primæ impositionis. Tum quia nomen modi intelligendi nunquàm posset esse primæ

Quodlibet nomẽ secundæ impositionis nõ est nomen secundæ intentionis.

Characterizatio modi non facit eius nomẽ esse primæ impositionis

primæ impositionis, quoniam nec talis mod⁹ potest à re characterizari: eò quòd nec à re in anima existente, nec à re extra animam, circa quam sit, vel à qua habeatur: Tum etiam quia simile, & dissimile non dicuntur nomina primæ impositionis ratione characterizationis, vt Hẽricus opinatur: dicũtur enim primæ impositionis eo quoniam rem significant: cum similitudo ac dissimilitudo sint relationes extra opus animæ existentes.

Propria opinio. Propter has igitur rationes aliter dicendũ esse puto. Nomina scilicet primæ ac secundæ intentionis differre à nominibus primæ ac secundę impositionis, ne dum quia à diuersis proprietatibus originem ducunt; intentionis enim nomẽ à proprietate quæ est tendere in aliud, seu ab hoc, quod est intus tentio; sumitur; transferturque postea ad significandum æquiuocè obiectũ in quod actus tendit: impositionis verò nomen ab eadẽ proprietate nequaquàm accipitur, vt manifestum est. Differunt etiam quia precisè, ac primò idem non significant: imo esse primæ, vel secũdæ impositionis est quædam nominum differentia, quæ est vniuersalior ea, qua dictionem in primæ, ac se-

ſecundæ intentionis nomen ſecamus; primæ enim impoſitionis nomen in prime, ac ſecundæ intentionis nomen partitur. Quæres: Iſta diuiſio nominis in primæ, ac ſecundæ impoſitionis nomen eſtnè grammaticalis? Dico, omnem diuiſionem grammaticalem nominis eſſe per modos ſignificandi actiuos: eſt autem modus ſignificandi actiuus proprietas vocis, quæ eſt ratio cõſignificãdi actiua, differens materialiter tantum à modo ſignificandi paſſiuo: & eſt principiũ in grammatica dans, vel eſſe ſimpliciter parti orationis ſecundum genus, aut ſecundum ſpetiem, vt ſunt modi ſignificãdi eſſentiales generaliſſimi, ſubalterni, ac ſpetialiſſimi: vel nec dant eſſe parti orationis ſecundum genus, nec ſecũdum ſpetiem, vt ſunt modi ſignificandi accidentales abſoluti, aut reſpectiui, aduenientes parti poſt eius eſſe completum. Sole verò clarius eſt hanc nominis diuiſionẽ non eſſe per modos ſignificãdi actiuos, quemadmodum inducenti notum erit: ergo non eſt grammaticalis partitio Sed iſta nominum diuerſitas ſumitur potius à prioritate, ac poſterioritate inſtitutionis ad ſignandum, ac repræſentandum:

Diuiſio nominis i prima ac ſecunda impoſitionis nomẽ an ſit grãmaticalis

Diuiſio grammaticalis nominis per quid ſit.

ita vt primę impositionis dicatur, quod primo; secundę verò, quòd secundario ad aliquid significādum instituitur. Vel istam prioritatem, à prioritate ac posterioritate rerum per nomina significatarum accipi fas est etiam dicere. Cū enim res significata sit suo nomine prior, ideo nomen eam significans erit prius nomine, nomen eius significante: ita quòd ordo, a quo primum ac secundū in his nominibus accipitur, est, nō rei ad rem, sed rei ad proprium nomen. Est igitur nomen primę impositionis (vt ad eius descriptionem tandem accedamus) dictio rem, aut rei attributum, aut eius priuationem, seu negationem significans. In hac descriptione accipio rem pro re reali, ac rationis, prout scilicet condistinguitur contra nomen, ac contra proprietates, conditionesq; voci significatiuę tātum attributas: hocq; modo quodlibet nomen ex institutione pro vocibus significatiuis, vel tantum pro earum conditionibus, ac proprietatibus non supponens, seu aliquod à modis intelligēdi passiuis immediatè sumptū non significans, primæ impositionis nomen, quasi primo, vel ad aliquod primum significandum im-

Nomen primæ impositionis quid.

impositum, appellabitur. Cumque nomen primæ ac secundę intentionis à logico cōsideratę rem, vel eius proprietatē significet rōne institutionis: idcirco primę impositionis in primę ac secundæ intētionis nomē partiri poteſt. Nomen primę impositionis ac primæ intētionis est quod significat res reales, ac illarum attributa, priuationes, negationesque: vt homo, leo, cecitas, ac cętera huiusmodi. Nomē verò primę impositionis ac secundę intētionis, est nomē significās rē secūdæ intētionis in voce vt in subiecto solummodo non existentem: seu est nomen supponēs pro secunda intentione à modis intelligendi passiuis immediatè non sumpta: cuiusmodi sunt nomina ista; genus, species, syllogimus, & cætera huiusmodi. Parriculę in hac descriptione positę, ex his quę dicam in fine huius articuli in cuiusdam dubij solutione manifestabuntur. Nomen secundę impositionis est dictio tantum voces significatiuas, vel earum proprietates, ac conditiones significans: seu est dictio pro nomine, seu pro aliquo à modis intelligēdi passiuis immediatè sumpto supponēs: qualia sunt ista nomina Tetagrāmaton,

Nomen primæ impositionis ac primæ intētionis quid.

Nomen primæ impositionis ac secundæ itētionis, quid.

Nomē secundæ impositionis quid.

ton, genus, species, numerus, figura, casus, ac cetera huiusmodi. Dices: genus & species sunt nomina significantia secundam intentionem logicam; non ergo ea inter nomina secundę impositionis numerare licet. Dico ista nomina æquiuocè accipi in logica & in grammatica: in logica enim capiuntur vt significēt quādam secundam intentionem sumptam a proprietate rei (quę est esse cōmunicabile pluribus spetie, vel numero differentibus) attributamque naturę, cuius est talis proprietas. In Grammatica verò accipitur hoc nomen species, vt significat quemdam modum significandi purè accidētalem, à proprietate, quę est modus existēdi primariè vel secundariè, seu absolutè, & comparatè sumptum: quo modo dicimus mons esse nomē primitiuę, montanos autem deriuatiuę spetiei. Genus etiā in grammatica est discretio sexus, accipiturq; a proprietate actiua vel passiua: & hoc modo dicimus hominē esse masculini, musam verò fęminini generis. Quæres, an nomen secundę impositionis in primę ac secundę intentionis nomen diuidi possit? Videtur quod sic. Quot enim modis dicitur vnum opposito-

Obiectio.

Genus & species, sunt noīa equiuoca

Nomē secundæ impositionis an diuidi possit in nomē prima, ac secundæ intentionis.

ſitorum,tot modis dicitur & reliquum primo Top. ſed nomen primę impoſitionis dicitur de primę ac ſecundæ intētionis nomine,ergo & ſecundæ impoſitionis nomen de eiſdem dicetur. Dico propoſitionem Ariſtot. non eſſe intelligendam,de quot dicatur vnum oppoſitorum,de tot dicatur & reliquum: vniuerſale enim pro formali de pluribus dicitur quàm ſingulare ſibi oppoſitū: ſed intelligenda eſt, quot ſignificata habet vnū oppoſitorum,tot habet & reliquū; quod tunc etiam eſt verum, ſi ſecundum omnem ſignificationē alterum ſibi opponatur. Contra iam determinata duæ rationes adduci poſſunt, quibus nomen ſecundam intentionem ſignificans eſſe ſecundæ impoſitionis probatur. Prima ſit,Quodlibet nomen modū rei ſignificans eſt ſecūdæ impoſitionis:ſed quodlibet nomē logicale modū rei ſignificat; eſt.n logica de ſecundis intentionibus, applicatis primis, quarū etiam ſunt modi intelligendi: ergo quodlibet nomen logicale eſt ſecundę impoſitionis. Maior probatur. Nomen quaſi ſecundo impoſitum rei,ſecūdæ impoſitionis vocatur: at nomen ſignificans modū rei eſt qua-

Quot modis dicitū vnum oppoſitorū, &c. declaratur.

Duæ rationes.

Nomen logicale, an ſit ſecundæ impoſitionis.

si secundo impositũ rei; significat enim nomen cõcretum formam ac illius sub-, stractum: ergo nomen significans modũ rei est secundæ impositionis Item secun do argumentor ad idem. Nomen significans secundam intẽtionẽ in voce vt in subiecto existentem est secundæ impositionis; nomẽ verò propositionis, ac orationis pro formali captæ significat intẽtionem existentem in voce vt in subiecto, quemadmodum Parisienses volũt: ergo talia sunt nomina secundæ impositionis. Dicitur à Mauritio in q.3 vniuersalium Scoti. Nomina secundarum intẽtionum posse quodãmodo secundæ impositionis nómina appellari. Contra, nomen secundæ intentionis logicalis nullo modo significat nomen, vel eius proprietatẽ ex institutione; ergo nullo modo potest dici secũdę impositionis. Consequentia patet per locum à definitione ad definitum. Aliter igitur ad primam rationem respõdeo, dicoque, quòd cum logica sit de secundis intentionibus primis applicabilibus (intentio enim vt qd à met. non autem à logico considerãda, definiendaq; est, q.14. Vniuersalium) ac ideo nomina secundarum intentionum

Secunda ratio. *Responsio Mauritij* *Contra.* *Propria responsio ad primã rationem*

logicalium sint concreta; cõcretum autem, quamuis ratione significati, ac modi significandi duo importet, materiale videlicet & formale; vnum tamen tantũ significat, scilicet formale, quod rationabilius videtur: nomen igitur secundas intentiones logicales concretiuè significans; importat, connotatq; rem, in qua sunt intentiones, non tamen eam significat: hocq; propriè loquendo de significare. Ad probationem maioris dico, nomina secundo ad rem significandam imposita, nõ verè secundæ impositionis dici posse: aliter enim cum multarum ciuitatum nomina ab his quibus antiquitus appellari consueuere diuersa sint, secundę impositionis vocari possent, quia etiam secundo illis ciuitatibus imposita: ꝙ attamen esse falsum manifestissimum est. sed illa secundæ impositionis nominari debent, quia ad aliquid posterius re significandum imposita sunt: & nota quòd hic capio rem eo modo quo supra dixi. Ad alteram rationem per quatuor dicta respondeo. Primum sit, Nomen significans intẽtionem natam tantum in voce fundari, est secundæ impositionis; vt ista nomina: casus, figura, numerus.

Responsio ad secundam rationem.

Dicta notabilia,

Secundum. Nomen significãs intentionem secundam natam ne dum in voce, sed etiam in aliquo alio fundari, primæ impositionis nomen sortitur. Tertium. Nomen propositionis, orationis, ac similium significat intentionem secundam per denominationẽ voci, orationi mentali, & scriptæ attributam. Quartum ex his sequẽs. Nomen propositionis ac orationis est primæ impositionis; licet etiã significet intentionem in voce existentem Hacque de causa in definitione nominis secundæ impositionis apposui ly tantum. Vel aliter dicas. Nomen si-significans intentionẽ secundam in voce vt in subiecto existentẽ, immediateq; à modis intelligendi passiuis sumptam, esse secundæ impositionis. Si verò sit in voce, non autem ab huiusmodi modis intelligendi originẽ ducat; tunc nomen illam significans primæ impositionis appellari debet. Per hoc etiam soluere poteris tale argumentum. Vox predicatur in quid de differentibus numero; ergo vox est species, species igitur logica erit ĩ voce vt in subiecto, nomenq; eius erit secundæ impositionis. Dicas secundũ primam responsionẽ speciem non esse tantum

Alia responsio.

tum

tum in voce. Iuxta verò ſecundam quæ magis ſapit, dicendum eſt argumentum illud committere fallaciam conſequentis: non enim ſat eſt ad hoc vt nomen ſecundæ impoſitionis dicatur, ſignificatū eius eſſe in voce vt in ſubiecto; ſed exigitur quoque illud à modis intelligendi paſſiuis immediatè ſumi; quod ſpeciei logicæ nō cōuenit. Si cupis vlterius ſcire, qui nam ſunt modi intelligēdi paſſiui: & quæ ab ipſis immediatè ſumi dicuntur; vide grammaticam ſpeculatiuā Scoti. Vbi dicitur modum intelligendi paſſiuum eſſe proprietatem rei, prout eſt ab intellectu apprehenſa: à quo modo intelligēdi immediatè accipitur modus ſignificandi actiuus.

Modus intelligendi paſſiuus quid.



Articulus Tertius.

Quæro in hoc articulo:

An prima intentio sit quicquid non est secunda?

VIdetur quòd sic: nam Bargius in primum Scoti.d.23.sic eã definit, quam definitionem accepit à Rubioni, 1.d.23.q.2. Præterea, prima, ac secunda intentio sufficienter diuidũt totum ens: ergo prima est quicquid non est secũda.

Iuxta hoc quæro: An prima intentio sit res cognita, seu posita in esse cognito? vel vt alij dicunt: An sit res sub concipi passiuo? Affirmatiuà non videtur falsa cum Ant. Andræas, ac alij Scotistæ sic eã definiant. *Ad oppositum.* Ad oppositum tamen primæ dubitationis est, quia quidditas in esse quidditatiuo, ac entia rationis a voluntate causatà non sunt secundæ intentiones, nec tamen sunt primæ. Ad oppositum secundæ est, quia non videtur sufficiens definitio, vt ex infra dicendis manifestum erit. Item concipi (quod dicitur esse ens derelictum in obiecto ab intellectu) non videtur esse formale constituens obiectum in esse intentionis;

pro-

probatur quia obiectum poteſt dici eſſe cōceptum abſque aliqua comparatione, ergo & abſque aliqua derelictione relationis: nō enim intellectus derelinquit relationem rationis, niſi comparatione ſuppoſita. Vnde ſi eſt aliqua relatio inter obiectum in aliquo eſſe, & intellectum; talis ineſt ipſis non per derelictionem intellectus, ſed ex natura extremorum in tali eſſe exiſtentium.

His difficultatibus reſpondendo, tria faciam. Primò, aſſignabo primæ intentionis definitionem. Secundò, eam declarabo. Tertiò, quid circa propoſitas dubitationes ſentiendum ſit, aperiam. *Ordo.*

Quòad primum, dico: Primam intentionem eſſe ſubſtractum tendentię obiectiuæ, qua res refert ad intellectus actionem, tendentem in illam non vt in aliquod ſimpliciter producendum; Vel ſic definiatur: Eſt res terminans tendentiā actionis intellectus in illam tēdentis, & cætera, vt in ſuperiori definitione. Duas de prima intentione definitiones propoſui, propter ea, quæ dixi in primo artic. Si enim quis putet obiectum dici intentionem extrinſeca denominatione, definiat primam intentionem ſecundo mo- *Prima intentio, quid.* *Quare duæ definitiones dātur de prima intentione.*

do.

do. Si vero intrinseca, eam definire potest primo modo: sic enim prima intentio est substractum tēdentiæ passiuæ, seu (quod in idem coincidit) est res sub tendentia obiectiua. Quæres, An tenendo rem dici intentionem denominatione intrinseca; possit prima intentio accipi pro materiali, ac pro formali? Dico quòd non. Nam cum intentio prima, vt de ea loquuntur Doctores, sit substractū tendentiæ obiectiuæ (quod quamuis sit sub tendentia, non tamē componit cum ea) & non compositum ex ipsa & obiecto: ideo non poterit capi prima intētio pro formali, & pro materiali. Contra istud obiicies. Nam intentio, vt dictum fuit in primo articulo, potest accipi pro materiali, ac pro formali; ergo similiter prima intentio. Diximus ibi intentionem pro aggregato habere substractū ac formale, prima autem intentio non est tale aggregatum, sed est substractum. Declaro terminos illarum definitionum: Circa quorum primum dico quamlibet rē realem, vel rationis posse esse substractū tendentiæ obiectiuæ: licèt enim omnes res nō possint mouere intellectum, possunt tamen omnes terminare eius actionem,

Dubium. *Obiectio.* *Definitionū declaratio.*

nem, ideoque poſſunt eſſe ſubſtractum huius tendentiæ. Primum patet ſaltem de relationibus realibus, ac rationis, quę cum ſint de genere ſterilium, intellectũ mouere non valent. Secundum probatur. Intelligibilitas eſt paſſio entis nē dũ realis, ſed etiam rationis, vt quæſtione quintà Vniuerſalium declaraui: ergo quodlibet tale ens eſt intelligibile; ac per conſequens, quodlibet poteſt terminare tendẽtiam formalem, & eſſe ſub obiectiua: Hincq; eſt, quòd in ſecunda definitione capitur res, nē dũ vt eſt à ratus, rata, ratum, ſed etiam vt eſt à reor, reris: ſecundæ enim intentiones poſſunt dici primæ; quia actum reflexum (quo apprehenduntur) terminare poſſunt. Pro declaratione alterius termini notabis, Tendens, tendentiam, & in quod tenditur, differre. Tendens formaliter eſt actus intellectus: Tendentia eſt relatio attingentiæ: In quod tenditur, eſt obiectũ præſuppoſitum, vel cauſatum. De tendente, & de illo in quod tenditur cauſatiuè, in hoc artic non erit ſermo. De tendentia igitur loquar, quam diuidendo, dico, duplicem eſſe; formalem ſcilicet, & obiectiuam. Et vtraque ratione ſui concreti

Secundæ intentiones poſsũt eſſe primæ.

Tendens, tendẽtia, & i quod tenditur, differunt

Tendẽtia quotupl.

creti capi potest vel pro connotato, vel pro se significato. Tendentia formalis pro connotato est actus intellectus, quo tanquàm formali, ratio obiectum attingit. Tendentia formalis pro per se significato, est relatio formaliter vnientis in ratione medij intellectum obiecto; quæ alio nomine attingentiæ relatio appellari valet. Vnde actum attingere obiectum, seu in obiectum tendere est actũ formaliter in ratione medij vnire potentiam obiecto. Quæres an ista relatio sit secundi, vel tertij modi? Quod sit tertij probatur. Nã non est primi, nec secundi, cum nec fundetur in quãtitate, nec in potentia actiua vel passiua, ergo est tertij: consequentia patet ex sufficienti diuisione. Probatur etiam quod sit secundi. Actum attingere obiectum, seu in illud tendere est actum formaliter in ratione medij vnire intellectũ obiecto: at vnire est agere, relatioque agentis ad passum est in secundo modo relatiuorũ, ergo relatio actus obiectum attingentis, est in secundo mõ relatiuorũ. Ad primũ dicendum est relationẽ primi modi fundari super rem de genere quantitatis: primo enim ac principaliter super numerũ, su-

Tendẽtia formalis, pro connotato

Tẽdentia formalis, pro formali.

Actũ attingere obiectum, quid.

Dubium.

Tẽdentia formalis, an sit relatio tertij modi? Et an sit relatio secũdi modi?

Responsio ad primũ.

super continuas verò quantitates nō nisi vt inter se habent rationē numeri fundatur. Relatio autem secundi modi fundatur super principia agendi ac patiendi; ac ideo quicquid potest esse principium agendi vel patiendi potest fundare relationem huius modi; quale est omne ens aliud à quantitate, ac relatione. At relationis terti modi fundamentum potest esse res quęlibet cuiuslibet generis Hoc supposito dico tendantiam formalē non fundari in quantitate vt ex se patet; nec etiam super principia agendi, aut patiendi; vt infra ostendam; ideoq nec primi, nec secundi modi. Nec etiam est tertij, quia relationes tertij modi sunt reales, sed ista est rōnis, non quia à ratione; sed quoniam est inter extrema quorum saltem alterum habet esse per rationem. sed contra hoc obijcies per Scotum 5. met. q. 11. dicētem, relationem intelligibilis & intellectus esse in vtroque realem; ergo vtraq; tendentia formalis, & obiectiua est realis, & nō rationis; ac per consequēs in aliquo illorum modorum, nō in duobus primis, igitur in tertio. Dico Scotū ibi loqui de intelligibili in potentia; vt ponderando verba eius notū fiet: at hoc

Relationis primi modi fundamentū

Relationis secūdi modi fundamentū

Relationis tertij modi fundamentū

Obiectio.

proprie

Responsio ꝓpriè non est intentio, vt in fine primi articuli diximus; nec ideo propter illud Scoti dictum, rem actu intellectam (quæ intentio præsuppositα vocatur) ad intel lectus actionem relatione reali referri asserendum est. Sed contra hanc responsionem videtur esse, quia si loqueretur

Instantia Scotus vbi supra de intelligibili in potẽtia, tunc non esset in vtroque relatio rea lis; cuius tamen oppositum ibi expressè dicit: loquitur igitur de illo, quod actu intelligitur: probo primam consequentiam; nam relatiua tertij modi, (qualia sunt illa) mutua relatione reali non refe runtur. Dupliciter ad hoc respondeo: Primoq; dicò, Duas esse opiniones de relatiuis tertij modi: quidam enim huius modi relatiua mutua relatione reali referri: quidã verò hoc esse falsum putant.

Relatiua tertij modi dicunt ad cõuertentiã secundum vnam opinionem. Primi dicunt Arist. 5. metap. distinguere tertium modum relatiuorum à duobus primis, quia tertij nõ sunt simul natura, vt sunt relatiua aliorum modorum: & non distinguit relatiua tertij ab aliis, per hoc quòd tertij non dicantur ad conuertentiam. Et hoc persuadetur esse de intentione Arist. in met. quoniam in logica, cap. de ad aliquid, hoc idem clarissimè

afferit; cum ait: omnia relatiua ad conuertentiam dici. Posteaquè assignando, ac declarando quartam relatiuorũ proprietatem, Ait: Non autem in omnibus relatiuis verum videtur esse simul natura. Quod si dicas Phylos. ibidem similiter vel relatiua tantum primi, ac secundi, & non tertij modi dici ad conuertentiam. Contra. quoniam ibi in logica probando inductiuè illam tertiam relatiuorum proprietatem ostendit primò eam veritatẽ habere de duplo, dimidio, maiori: deinde manifestat quomodo similiter relatiuis tertij modi accomodatur, & hoc cum ait Similiter autem & in alijs: sed casu differunt quandoq; secundum locutionem, vt scientia scibilis scientia, & scibile scientia scibile, & sensus sensibilis sensus, & sensibile sensu sensibile. Ex quibus verbis habemus, quòd si omne relatiuum conuenienter assignetur, assignabitur ad vnum similiter ad ipsum relatum, nõ quidem semper sub eodem casu, sed quandoque sub alio, vt patet in exemplis eiusdem Phyloso. Præterea. in prædicamentis ostendens relatiua esse simul natura, excipit quæ sũt tertij modi: declarans autem relatiua dici ad conuerten-

Enasio. *Contra.*

ten-

tentiã, non ea excipit: imo potius ostendit hoc etiam esse verum in eisdē si conuenienter assignetur: Quare ergo magis hoc faceret Arist. de quarta, quàm de tertia proprietate, si neutra relatiuis tertij modi conueniret? Nec contra hunc modū dicendi videtur esse Arist. 5. met. tex. com. 20. asserentē relatiua tertij modi dici ad aliquid, non quia ipsa ad alia, sed quia alia ad ipsa dicuntur: vt intellectuale significat quod ipsius est intellectus, & non est ad hoc cuius est intellectus. Intentio enim Arist. 5. met. non est quòd in relatiuis tertij modi non sit mutua relatio, si rectè assignentur; Sed intētio eius est, quod ex altera parte habetur aliquod nomen absolutum, præter nomen relatiuum: quod nomen absolutū non dicitur ad aliquid, nisi quia aliquo modo aliud est ad ipsum. Exemplum est de visu, ac visibili: nam ex parte visus habemus tantum hoc nomē visus, quod verè relatiuè dicitur ad aliud, cum sit alicuius visus. Ex parte autem visibilis habentur duo nomina ad quorum vtrunq; dicitur visus: quorum vnum est propriè correlatiuū visus, scilicet visibile: aliud verò non, videlicet color; nō enim pro-

Obiectio tollitur.

Declarat dictū Aristo. 5. met. tex. com. 20.

priè

priè dicimus, color est visu color; quàmuis propriè dicamus: visibile est visu visibile: & ideo color dicetur esse relatiuum; non quia ipse ad aliud, sed quoniã aliud ad ipsum dicitur. Hoc idem dicas de intellectu, & intellectuale: nam intellectus semper est alicuius intellectus; & intellectuale significatũ per hoc nomen intellectuale est correlatiuũ intellectus, & refertur ad ipsum; cùm intellectuale sit intellectu intellectuale: sed significatum per nomen absolutum iam amplius nõ est correlatiuum intellectus, cùm ad ipsum non referatur; sicut homo dicitur intellectualis, quia intellectus est ad ipsum. Ex his patet breuiter intentionem Phyloso. 5. met. esse relatiua tertij modi mutuo referri, si per nomina relatiua ambo significentur. Dices, Aristot. ibidem exẽplificare de intellectuali, quod est correlatiuum intellectus, significatur enim per nomen respectiuum; & tamẽ vult intellectuale significare, quod ipsi⁹ sit intellectus. Dicitur Phylos. ibi loqui de intellectuali capto ꝓ absoluto, & non pro formali, vel pro aggregato. Alia est opinio verior, quæ est etiam Scoti in primo, ac in quol. asserẽs relatiua tertij mo

Obiectio tollitur.

Alia opinio.

di mutua equidem relatione referri, sed non mutua reali; in altero enim extremo est realis, in altero autem rationis. Exempli gratia: Mensura, & intellectus referuntur reali relatione ad mensurabile, & ad intellectuale: mensurabile verò, & intellectuale ad mensuram, & ad intellectum non nisi rationis relatione referuntur. Hæcq; opinio vult Arist. in logica credendum non esse, cùm secūdum propriam sententiam non loquatur de relatiuis. Modò ad illam Scoti auctoritatem 5. met. dicendum est, ipsum ibi loqui iuxta principia primæ opinionis; in vtroque enim est tunc relatio reali. Vel aliter dicere possumus, Intellectum esse nomen equiuocum ad potentiam intellectiuam, & ad eius actum. si primo capiatur intellectus, sic inter intellectum, & inter intelligibile est relatio mutua realis de secundo modo relatiuorū; quę est relatio mouentis ad mobile, seu agentis ad passum, vt dicit Doct. q. 3. prologi. At si secūdo modo capiatur intellectus, tunc non est realis in vtroque extremo. Nisi loquamur de illa qua actus depēdet ab obiecto vt causatū in cognosci à causa in cognosci, quę equidem est realis, quia nullo

Alia responsio.

Intellect' est nomē equiuocum.

nullo modo est per actum collatiuũ intellectus: vide Scot. q. 13. quolib. artic. 2. Loquitur igitur Doct. 5. met. de intellectu primo modo. Et si vis tenere ipsum loqui de intellectu altero modo, tũc dicas relationem realem ibi capi vt distinguit̃ contra relationem rationis, existentem per actum collatiuum intellectus: hoc enim modo ponitur in vtroq; realis relatio. Erat aliud argumentum ostendens tendentiam formalem esse relationem secũdi modi: Ad quod respondeo per duo dicta. Primum sit: Hoc nomen potentia actiua, non imponitur formæ existenti principium operationis, precisè eòquòd alia nata sunt agi, aut pati ab ea; sed cum hoc etiam quia nata est agere ex se, aut transmutare alia, vt ex eius definitione 5. met. cap. de potentia clarũ est: & propter hoc inter actiuum & passiuum ponitur mutua relatio. sed actio intellectus vt tendens in obiectum, cùm non sit principium transmutationis in alio, inquantùm aliud, non est potentia actiua: ergo nec per consequens actus intellectus & obiectum erũt fundamenta relationis secundi modi. Secundum dictum. Vnire dupliciter capitur, acti-

Ad aliud argumentum.

Cui imponit̃ hoc nomen i. potentia actiua.

Vnire, duplex.

uè, & formaliter: vnire primo modo est agere, non autem vnire secundo modo. cum igitur actus intellectus vniat formaliter tantum, eius vnire nō est agere. Per hæc patet argumentum illud ęquiuocare de vnire. Hæc dicta sufficiant pro declaratione tendentiæ formalis. Obiectiua tendentia potest similiter capi vel pro substracto, estq; obiectū in quod intellectus tendit: Vel pro p se significato, estq; relatio obiecti, nō quęcunq; sed qua refertur ad intellectum vt ad formaliter vnientem in ratione medij. Dixi in hac definitione primę intentionis. Nō quęcunque, propter duplicem relationem existentem in obiecto. Vna est relatio mensurę, qua obiectum refertur ad actum vt ad mensuratum, seu mensurabile: (Et nota, quod loquor de actu non causante totaliter obiectum; quoniam talis actus habet potius respectu obiecti relationem mensuræ, quàm mensurabilis.) Altera est relatio tendentiæ obiectiuæ, qua obiectum refertur ad actum eo modo quo diximus. Huiusque tendentiæ obiectiuę substractum dicitur prima intentio; dūmodo intellectus tendat in illud non vt in aliquod simpliciter pro-

Tēdentia obiectiua quid, & quotupl.

In obiecto est duplex relatio.

Sequitur declaratio definitionis primæ intentionis.

du-

ducendũ. Pro quo ſcias intellectũ dupliciter tendere in aliud, vel. ſ. producendo illud in eſſe ſimpliciter, quẽadmodũ tendit in ſecũdã intentionem: cauſat. n. ſecũda intẽtio ab intellectu tendente in ipsã, & ideo eſt ſub quadam tẽdẽtia obiectiua realiter ſibi idẽtificata; nã poſito intellectu ac ſecũda intẽtione, neceſſariò inſurgit talis relatio, quę tamen non eſt realis propter defectum fundamẽti: Alio modo tendit in aliud vt in obiectũ præſuppoſitum. Vt igitur diſtinguatur tendentia obiectiua primæ intentionis à tendentia obiectiua ſecundæ appoſui illam particulam. Tendentis in illam nõ vt in aliquod ſimpliciter producẽdum. Quæres quare hæc dicitur prima intentio, illa vero ſecunda? Dico. Primum & ſecundum eſſe differentias ordinis vt habet Doctor noſter in ſua Grammatica ſpeculatiua; cum oſtendit naturam conſtructionis in ſuis partibus via diuiſionis: cũ igitur inter iſtas intentiones ſit ordo prioritatis ac poſterioritatis, ideo vna prima, altera verò ſecunda intentio appellari poterit. Iſte autem ordo, ne dum propter actuum in ipſas tẽdentium, ſed etiã propter ipſarummet intentionum ordinem

Actus intellectus dupliciter tẽdit in aliud.

Quare prima, ac ſecũda intentio ſic dicũtur.

Primũ & ſecũdum ſunt differentia ordinis.

nem inter ipsas inest. Actus enim quo intellectus tendit in obiectum præsuppositum præcedit actum quo intentio secunda producitur: imo actus iste secũdus non potest esse sine priori, vt ex dicendis in quinto artic. manifestum erit: ac idcirco poterit dici prima intẽtio omne terminans priorem actum, secunda verò terminans secũdum actum; & per actum secundum intelligo actum comparatiuum, seu sequentem comparationem. Etiam vna dicitur prima, altera verò secunda intentio; quia vna est fundamentum, alteraq; fundata: fundamentũ autem est prius eo quod fundat, igitur propter talem ordinem aliqua intentio vocabitur prima, & aliqua secunda. Di-

Obiectio. ces: Intellectus non tendit in secundam intentionem, vt in aliquod non simpliciter producendum: ergo secũda intentio non potest esse prima. Antecedens probatur; intentio enim secũda simpliciter causatur ab intellectu, sic, quòd nullo modo existit ante productionem intellectus; igitur intellectus tẽdit in eam vt in aliquod simpliciter producẽdum.

Responsio Dico, Intellectum tendere actu comparatiuo, vel productiuo comparatiuũ sup

po-

ponente, in secūdam intentionem vt in aliquod producendum; non enim esse eius ab illis actibus præsupponitur, sed causatur. Sed ab actu reflexo, quo intelligitur, non causatur, sed supponitur simpliciter: ita quòd res secundæ intentionis ea ratione qua terminat actum productiuum dicitur secunda intentio; ea autem ratione qua actum reflexum terminat vocatur prima intentio. Dices, actus reflexus quo intentiones secundæ intelliguntur non præcedit actum quo causantur; ergo ratione prioritatis actus reflexi non poterit res secundæ intentionis dici prima intentio: consequentia patet per ea, quæ iam supra diximus, prioritatem scilicet, ac posterioritatem istis intentionibus inesse propter ordinem actuum: Dico, actum reflexum quo intentiones secundæ intelliguntur, præcedere actum quo comparantur, & p consequēs etiam actum quo aliæ in ipsis fundatæ producuntur; vt, exempli gratia: Actus quo intelligo vniuersale, precedit actū quo comparo vniuersale sub ratione quidditatis communicabilis differentibus specie ad quinq; vniuersalia; & per consequens etiam præcedit actum quo *Obiectio.* *Responsio*

causatur in vniuersali intentio generis?
Ad dubitationes in huius articuli initio discutiendas iam tandem accedamus. Quarum prior erat: An prima intentio sit quicquid non est secunda? Ad hanc dico negatiuam esse veriorem. Inter primam enim, ac secundam datur medium per abnegationẽ; vt patet de re non actu terminante intellectum, nec ab eo causata. Etiam secunda intentio, seu res secundæ intentionis potest dici prima intentio, cùm actu terminat tendentiam actionis intellectus: ergo non est verũ, quòd prima intentio sit quicquid non est secunda. Tunc enim hæc præpositio veritatem haberet, si intentio prima, ac secunda de omnibus entibus prædicarẽtur, essentque ita disparatæ, quòd vna de altera dici non posset: hoc tamen nõ videtur verum in proposito. Nisi fortè dicas primam intentionem nũquàm posse esse secundam, quàmuis benè res secundæ intentionis possit esse prima intẽtio. sed hæc videtur fuga: nam res secundæ intentionis, ac intentio secunda obiectiuè idem sunt. Per hæc patet quid ad primum argumentum ante oppositum respondendum sit. Ad secũdum negatur

Prima intentio an sit quicquid non est secunda.

Ad argumentum huius articuli.

an-

antecedens. Probatur. Ens ſufficienter diuiditur in ens reale, ac in ens rationis; ergo & ſufficienter diuiditur in primam ac ſecundam intentionem. Dico, ens reale, ac ens rationis, captum pro quolibet ente rationis à potentia collatiua cauſatum, eſſe diſparata diuidentia totũ ens, eo modo quo æquiuocata, æquiuocum æquiuocans ſecare dicuntur; talis enim eſt diuiſio vocis, & non conceptus; quia nec ẽt ens tranſcendentiſſimè dicit conceptũ aliquem vnum, communem enti reali, ac enti rationis. At prima, & ſecunda intentio non diuidunt hoc modo totum ens: cum nec etiam quodlibet ens reale ſit prima intentio, nec quodlibet ens rationis ſecunda; vt patet de ente producto à voluntate conferente aliqua ad inuicem. Erat altera dubitatio in initio huius articuli: An prima intentio ſit res cognita? ſeu res ſub concipi paſſiuo? Dico, cognitionem paſſiuam, ſeu concipi acceptum, vt definitur à Io: Anglico in ſuo libello de ſecundis intentionibus, non eſſe differentiam diſtinctiuam primæ intentionis à ſecunda: ergo nec debet poni in definitione primæ. Probo antecedens. Eadem eſt differentia conſtitu-

Reſponſio ad ſecundam dubitationẽ huius articuli.

Prima intentio nõ diſtinguitur à ſecũda per concipi paſſiuum

ſtitutiua, ac diuiſiua: ſed concipi non eſt conſtitutiuum primæ intentionis; ergo nec diuidit primam intentionem à ſecū da; nec per conſequens per illud debet definiri prima intentio. Probatur minor. Concipi, vt dicit ipſe Anglicus; eſt ens rationis paſſiuè derelictum in obiecto per attactum, vel cōtactum vigoroſum potentiæ intellectualis applicatę ad ipſum: ſed antequàm intelligamus illud concipi eſſe derelictum in obiecto, intelligimus obiectū eſſe primam intentionem: ergo cùm nullum prius conſtituatur in eſſe per ſuum poſterius, nec obiectum conſtituetur in eſſe primæ intentionis per concipi paſſiuum. Probo minorem. Ens rationis derelinquitur in obiecto per ſolum actum collatiuum: at prima intentio, ſicut & prima actio intellectus præcedit iſtum actum: ergo antequàm intelligamus illud cōcipi eſſe derelictum in obiecto, intelligimus obiectum eſſe primam intentionem. Dices fortè, Ens rationis ne tantum per actum collatiuum, ſed etiam per rectum derelinqui; quod videtur eſſe de intentione Io: de Baſſolis. 1. d. 36. q. 2. in fine 1 artic. Paulus quoq; ſcriptor ſuper primū Scoti

Concipi, quid.

Inſtāe.


d. 23.

d. 23. asserit hoc idem de secunda intentione. Vel aliter dices: Concipi passiuū non esse ens rationis derelictum per solam intellectus operationē: sed esse ens rationis existens inter extrema realia habentia esse reale diminutum. Contra primam euasionem est, quia illud non est verum de relatione habente esse per solius intellectus opus: nec fortè Ioan. de Bassolis fuit illius opinionis. Contra alteram euasionem est, quia tunc nō esset ens rationis derelictum in obiecto ab intellectu: sed potius esset ens rationis, qđ esset inter extrema ratione extremorū; quod postea diceretur ens rationis propter ambo extrema, vel propter alterum habens esse diminutum. Quale ens rationis est dependentia causati in cognosci ad causam in cognosci, secundum Scotum. q. 13. quol. art. 2.

Alius modus euadendi.

Contra primā euasionem

Cōtra secundā euasionem



Ar-

Articulus Quartus.

Erit in hoc articulo tale dubium:

An secunda intentio sit comparatio passiua?

Videtur quòd sic. Nam Auctor Formalitatũ & Trombeta super illas, Tataretusq; super logicam asserunt hoc esse de intentione Scoti 4.d.1.q.2. Ad oppositum tamen est, quia secunda intẽtio est relatio rationis per doctorem. 1.d.23. ac alibi sępè: comparatio autem passiua non est talis relatio: ergo &c. Pręterea tali comparatione refertur obiectum ad intellectũ comparãtem: secũda verò intentio est relatio obiecti cogniti ad obiectum cognitum: ergo &c.

Iuxta hoc quæro. An secunda intentio sit relatio rationis obiecti cogniti ad obiectum cognitum? Videtur quòd nõ. Quoniam, omnis relatio rationis obiecti cogniti ad obiectum cognitum inest vel ratione extremorum, vel per solũ intellectum: sed secunda intentio neutro modo potest inesse obiecto cognito: ergo non est relatio rationis obiecti cogniti ad obiectum cognitum. Vtranq; partem

tem minoris probo,& primò,ipsam non esse inter obiecta cognita ratione extremorum : eòquòd talis relatio, licèt non sit simpliciter realis, quia est inter extrema habentia esse per intellectum: nō tamen est ita purè relatio rationis, sicut est illa quę est vniuersalis ad singulare: nec sicut est illa quæ est contradictorij ad cōtradictorium : secunda autē intentio est purè relatio rationis: ergo secunda intētio non est inter obiecta cognita ratione extremorū. Maior & minor huius prosyllogismi satis notę sunt ex his quę habet Scotus q. 13. quol. art 2. Probo secūdò, intentionem secundam non esse inter obiecta cognita per solum intellectū. Quicquid per solum opus intellectus ha bet esse est figmentum; si igitur secunda intētio inest per solum opus,intellectus erit figmentum : consequens falsum,ergo & antecedens. Ad oppositum est cōmunis opinio.

His dubitationibus respōdeo. Et primo pono diffinitionē secundę intentionis,quā Sctotus 1.d.23. ponit: cuius singulas particulas declarare nitar: secundo quattuor dubia proponā,ac soluam. Vltimò quid ad dubia ista dicendum sit aperiam.

Secunda intentio, quid. riam. Quantum ad primum, Dico: quòd secunda intentio est relatio rationis, non quæcunque, sed pertinẽs ad extremum, vel actum intellectus componentis, vel diuidentis, vel saltem conferentis vnum ad alterum. Hæc Scotus vbi supra.

Duplex relatio. Declaro singulas particulas. Pro quarũ prima scias duplicem esse relationem, scilicet realem, & rationis. *Relatio realis, quid.* Relationem realem voco, habitudinem habentem extrema in actu, & realiter distincta, & quæ naturam extremorum necessariò consequitur. *Relatio rationis, quid.* Relationẽ autem rationis appello omnem habitudinem existentem inter extrema habentia esse per intellectũ: vel cuius alterũ extremum est nihil. *Relatio rationis, quotupl.* Relatioq; rationis hoc modo accepta est duplex; quedam est inter extrema ambo positiua, habẽtia tamen esse per intellectũ: quædam verò inter extrema, quorũ vnũ est quid positiuũ, alterum autem nihil. Relatio primo modo est adhuc duplex, quædam inest extremis in tali esse ratione extremorum: quædam autem per solius intellectus operationem. *Quæ harum relationũ est magis relatio rationis.* Inter quas relationes rationis, illa quæ est per intellectus operationem, vt quæ est vniuersalis ad singulare, est magis relatio rationis;

nis; quia ipsa, eius fundamentum, ac terminus habent esse per intellectum. Illa verò quæ est inter extrema positiua, quorum alterum, vel ambo habent esse per intellectum, est minus relatio rationis, quàm illa quę est vniuersalis ad singulare, & quàm illa q̄ est ad nihil: patet quia est inter extrema ratione extremorū; & ambo etiā sūt positiua. Illa vltimo, cuius alterum extremum est nihil, est minus relatio rationis habēte esse per solum intellectum, quia ista non habet esse per aliquam intellectus operationem: est autē magis relatio rationis, quàm illa quæ est inter obiecta positiua cognita, ratione extremorum: quoniam habens extrema positiua est magis realis, quàm habēs alterum extremum negatiuum. Dices ergo illa quæ est vniuersalis ad singulare erit minus rationis ista, cum habeat extrema ambo positiua. Dico quòd hoc tunc sequererur si non haberet esse per solū intellectum: est enim rationis nedum ratione extremorum, sed etiam sui ipsius. Vel dicas, quòd relatio rationis sic dicitur, vel quia est à ratione effectiuè, vt est illa quæ est vniuersalis ad singulare, vel quia sibi deficit conditio aliqua relationis

Responsio

Alia responsio.

tionis realis, licèt non sit à ratione effectiuè; illa quæ est primo modo rationis, est magis rationis, quàm quæ est secũdo modo. Hoc notato, Dico; secundam intentionem non esse quamcunque relationem rationis: nõ est enim relatio rationis quæ insit ratione extremorũ, sed per solum intellectũ. Ex hoc patet quare dixit Scotus. Non quæcunque. Sequitur. Pertinens ad extremum vel actum. Mauritius super tertiam questionẽ vniuersalium Scoti ponendo hanc definitionem dicit. Pertinens ad extremum actus per quod innuit litteram quam in Scoto habemus corrigẽdam esse: quod attamen facere non debemus, cum ita benè se habeat. Expono igitur hanc litterã: & primò assignabo quendam modum exponendi; quo impugnato, aliter dicã. Reuerendissimus igit̃ Pater Frater Aloysius Puteus olim totius Seraphyci ordinis Generalis Minister, doctissimusque Scotista in margine Scoti quo ipse vtebatur hæc verba scripsit. Imo pertinet ad vtrunque, sed diuersimodè: ad actũ enim obiectiuè, quia est obiectum actus intellectus: & pertinet ad extremum quòad denominationẽ, quia homo per illum

Secunda intentio, quæ relatio rationis.

Secunda intentio, quomodo ꝑtinet ad extremũ vel actũ.

illum denominatur ſpeties. Hæc ille. Ex quibus verbis habes quomodo ſecunda intentio pertinet ad extremũ, & ad actũ: & quid per extremum, & quid per actũ intelligendum ſit. Sed ſi hæc eſt expoſitio illorum verborum Scoti, ſtare equidem minimè poteſt: Nam ſi ipſe loquatur de actu reflexo, verùm eſt quòd ad talem actum obiectiuè ſecunda intentio pertinet, cùm per talem actum intelligatur: ſed tunc nihil ad b, eò quoniam nõ loquitur Scotus de tali actu, vt ex eius littera clarum eſt. ſi verò ſic exponens loquatur de actu comparatiuo, tunc ad talẽ actum non pertinet obiectiuè: quia alio actu cauſatur, & alio intelligitur, vt conceditur ab omnibus: ergo &c. Vt igitur percipere valeas, quare Doctor dixit: Ad extremum vel actum &c. ſcias aliquos exiſtimaſſe, ſecundam intentionem cauſari ab actu comparatiuo. Quoſdam autem ipſam eſſe collatiuam intellectionẽ. Nonnulli etiam ab actu productiuo ipsã cauſari voluerunt. Et ideo propter iſtas opiniones Scotum tót particulas hic poſuiſſe puto. Vnde ſecundum primum modum opinandi, ſecũda intentio pertinet ad extremum intellectus, ideſt ad vl

Contra.

Propria expoſitio.

Opiniones tres.

timum quod facit intellectus cõparans. Pro cuius intellectu imaginandũ nobis est in actu comparatiuo esse duo signa: in quorum primo comparãtur obiecta; in secundo autem secunda intentio causatur. Et ista signa se habent per ordinẽ: sic quòd secundum esse nequit, quin fuerit primum: non enim potest intellectus actu comparatiuo causare intentionem in obiecto cognito, nisi prius tale obiectum ad aliud cognitum, vel ad se ipsum comparatum fuerit. Et ita secunda intẽtio pertinet ad extremũ intellectus, &c. idest ad vltimum quod facit intellectus comparans. Quæres, quomodo ad hoc extremum, seu secundum signum pertinet secunda intentio? Dico effectiuè, quia causatur ab intellectu in isto signo. Quæres etiam: An primum signum se habeat ad secundum vt causa ad effectũ? Dico quòd non: sed se habent vt effectus essentialiter ordinati. Iuxta autem secũdam opinionem, pertinet secunda intentio ad actum intellectus, &c. & non ad extremum; quia est ipsa intellectio collatiua. Quæres: pertinet ne secunda intentio ad istum actũ, vt voluimus secundum primam opinionẽ ipsam pertinere

In actu comparatiuo sunt duo signa

Dubium

Dubium

Secunda opinio.

Dubium

ad

ad extremum intellectus, &c? Dico, ꝙ non: nam ad istum actum non pertinet effectiuè, cum nihil causet se ipsum: sed identicè, eò quòd est ipsamet collatiua cognitio. Secundum autem tertiam opinionem secunda intentio pertinet ad extremum intellectus, &c. quia pertinet ad actum productiuum, qui est extrem⁹ actus intellectus componentis, vel diuidentis, vel saltem conferentis vnum ad alterum. Pro quo scias triplicem esse actum productiuum, quidam est productiuus spetiei intelligibilis, & iste est actus intellectus agentis, transferentis ꝑpter hoc omnia de ordine in ordinem. Quæres: intellectus agens habetne actũ productiuum respectu cuiuscunq; intelligibilis? Dico, quòd sic, quia potest omnia potentia intelligibilia facere actu intelligibilia, abstrahendo spetiem intelligibilem quodlibet intelligibile repręsẽtantem. Et si obiicias, quòd à singulis obiectis non potest abstrahere spetiem illud repræsentãtem, vt clarum est de Diuina essentia, de substantia, de relatione, ac de aliis non sensibilibus, & fantasiabilibus. Dico, ꝙ à quolibet obiecto non potest abstrahere spetiem intelligibilem illud

Tertia opinio.

Triplex actus productiuus

Dubium de intellectu agente.

Obiectio.

Responsio

illud formaliter repræsentātem, quemadmodum concludit obiectio: respectu tamen cuiuscunque obiecti intelligibilis potest abstrahere spetiem intelligibilē illud formaliter, vel virtualiter repræsentantem. Alius est actus intellectus productiuus actus intelligendi; & iste est actus intellectus possibilis: propter productionem cuius actus, intellectus possibilis dicitur actiuus, non equidem propter eandem rationem qua intellectus agens; quia iste non abstrahit: sed propter aliam rationem, vt clarum est, concedendo intellectui possibili causationē intellectionis. Quæres, si intellectus possibilis causat intellectionem, recipit ne ipsam? Dico ꝙ sic, vt & de omnibus actionibns immanentibus dicendum est. Sed obiicies: materia & efficiens nō coincidunt. 2. phys. tex. com. 70. ergo si intellectus possibilis est causa intellectionis, non recipit eam. Dico, Arist. loqui de materia ex qua, & non de materia in qua, cuiusmodi est intellectus possibilis respectu intellectionis. Dices: si efficiēs & materia in qua possunt coincidere, ergo non valet argumentum primum Scoti adductum in quæstione nona vniuersalium:

Secūdus actus productiuus

Dubium

Obiectio.

Materia & efficiēs quomodo coīcidāt.

Obiectio.

salium:

falium: quia per illud non cogimur negare intellectum posse esse efficiētem & subiectum secundæ intentionis. Dico, quòd quando effectus subiectatur in efficiente, tunc materia in qua & efficiens possunt coincidere: cum autem non potest efficiens esse subiectum sui effectus, (quod tunc est, cum ab ipso denominari nequit) tunc efficiens & materia in qua non possunt coincidere: hoc modo est de intellectu respectu secundę intentionis. supponit igitur Scotus in illo argumento intellectum non esse materiam circa quam, nec denominari à secunda intentione: quo supposito, valet argumentum, vt satis patet. Alius est actus intellectus productiuus secundæ intentionis; qui necessariò præsupponit actū comparatiuum. Duo primi actus sunt productiui entis realis: tertius verò entis rationis. Hoc notato, dico secundam intentionem pertinere ad extremū intellectus, &c. quod intelligas non de extremo actus comparatiui, seu actus intellectus comparantis; sed de extremo intellectus comparantis: est enim differentia inter extremum actus intellectus comparantis, & inter extremum intelle-

Responsio

Tertius actus productiuus

ctus cōparantis: nam primo modo, extremum est aliquid actus intellectus cōparatiui: secundo autem modo non, sed est vltimum quod facit intellectus comparans, sic, quòd actus comparatiuus, & extremum intellectus comparantis sunt duo effectus ordinati intellectus. Quæres: si secunda intentio pertinet ad hunc actum productiuum, pertinet ne etiam aliquo modo ad comparatiuum? Dico, quòd sic, non autem formaliter, nec effectiuè, sed p̄suppositiuè: quia necessariò præsupponitur causationi secūdę intētionis: sic quòd impossibile est ipsam causari non supposito hoc actu. Ex his patet quare dixit Doctor ad extremum vel actum: hoc enim fecit poropter opinionum diuersitatem. Quæres. quæ nam harum opinionum est melior? Dico, ꝙ prima & tertia. Instabit contra tertiam opinionem; Non enim videtur dandum esse actum productiuum respectu secundæ intentionis: cum per Scotum 1. d. 3. q. 6. & 7. intellectus non habeat actū productiuum nisi respectu actus intelligendi, & speciei intelligibilis. Dico, Doctorem ibi loqui de actu productiuo entis realis, & non de quocunque; quia nō de

Dubium *Dubium* *Obiectio.* *Responsio*

præ-

præſupponente neceſſario actũ compatiuum. Et hæc dicta ſufficiant pro declaratione illius partis definitionis ſecũdæ intentionis. Declaranda modò eſt alia pars, quæ eſt componentis, vel diuidentis, vel ſaltem conferentis vnum ad alterum. Cuius diſiunctiuæ volunt communiter doctores vltimam partem eſſe veram, eò quoniam pertinet ſecunda intẽtio ad extremum, vel actum intellectus conferẽtis vnum ad alterũ. quare autem Scotus poſuerit alia verba componentis vel diuidentis, rationem aliquam minimè aſſignant. Et ideo aliter dico: Totam ſcilicet hanc diſiunctiuam eſſe veram reſpectu ſecundæ intentionis: licèt nõ, reſpectu eiuſdem intentionis: nam prima pars diſiunctiuè poteſt de aliqua ſecunda intentione verificari; de qua non poteſt ſecunda, aut tertia pars. Obijcies, concludendo hanc igitur non eſſe bonam definitionem; quia omnes partes non conueniunt ſimul cuilibet contento ſub definito, quemadmodum conuenire debent ad hoc vt ſit bona definitio. Dico, quòd partes definitionis datę per diſiunctionem ſimul ac indifferenter conueniunt definito; non

alia pars definitionis ſecunda intentionis declaratur.

Expoſitio aliorum.

Propria expoſitio.

Obiectio.

Reſponſio

tamen cuilibet determinato contento ſub definito ſimul indifferenter conuenire neceſſe eſt: hæc igitur cum ſit data per diſiunctionem, nō eſt neceſſe ſingulas eius partes de ſingulis intentionibus ſecundis dici. Propter igitur diuerſas ſecundas intentiones tria iſta verba poſita ſunt. Pro quo ſcias. Primo, ſecundarū intentionum, quaſdam eſſe complexas, & quaſdam incomplexas; complexarum etiam aliquas affirmatiuas, & aliquas negatiuas: intentiones ſecundæ complexæ ſequuntur comparationem eorum, quæ non componuntur: ſeu cōparationem exiſtentium in ſimplicium intelligentia: Intentiones verò complexę, vel ſequntur comparationem eorum quę affirmatiuè componuntur cum diſcurſu, (quod dico propter ſyllogiſmū affirmatiuum) vel eorum quę negatiuè cum diſcurſu diuiduntur, quod propter negatiuum ſyllogiſmum dico, vel ſequū tur comparationem eorum quæ affirmatiue vel negatiuè componuntur ſine diſcurſu; & hoc propter propoſitiones affirmatiuas, vel negatiuas. Ita quòd breuiter dicendum eſt omnes intentiones cōplexas, ſequi comparationem exiſtentē

Secundarum intētionū diuiſio.

in

n compoſitione, vel diuiſione. Secũdo animaduertas. Componere logicè eſſe affirmare, & diuidere negare. His notatis, dico, Propter cõplexas affirmatiuas intentiones Scotum dixiſſe, componentis. Et propter negatiuas, diuidentis. Et propter incomplexas in quibus nec eſt affirmatio nec negatio: ſaltem conferentis vnum ad alterum. Pertinet igitur ſecunda intentio ad extremum vel actum intellectus comparatiuè componentis, vel comparatiuè diuidentis, vel ſaltem conferentis vnum incomplexum, ad alterũ; vel ſubintelligatur ad ſe ipſum: quod tũc eſt cum intellectus vtitur vno vt duobus. Hic tria quæres. Primo, quę nam eſt ratio me compellens ad exiſtimandum Scotum per compoſitionem, & diuiſionem intelligere comparationem exiſtẽtem in cõpoſitione, ac diuiſione? Secundo, An cõpoſitio & diuiſio hic accipiantur vt tertio de anima in diuiſione actuũ intelligendi? Tertio. An ſufficiebat Scoto ponere tantum ly componentis, vt Ariſt. 3. de anima ſatis fuit? Ad primum quęſitum dico, diſiunctionem propriè non debere poni, niſi inter diſparata, vel oppoſita; quia inter non diſiuncta, non cadit

Componere, & diuidere logicè quid

Tria dubia.

Ad primum dubium.

Disiūctio inter quæ debet poni.

cadit disiunctio: vnde ista non erit verè disiunctiua, homo est animal vel substan stia: sed compositio, diuisioque ex vna parte, & comparatio ex alia non opponũtur, nec sunt disparata; quia comparatio potest esse in compositione, & diuisione: ergo disiunctio non debet poni inter compositionem & diuisionem ex vna parte, & comparationem ex altera: ergo cùm inter eas ponatur à Doctore disiunctio (nec ad propositum aliter accipi queant, quàm vt expositum est) talẽ esse Doctoris sententiam putandum est. Dubitabis contra determinata: Inter compositionem, & diuisionẽ ponitur à Scoto disiunctio, cùm dicat componentis, vel diuidentis; & tamen nec opponuntur, nec sunt disparatæ, cùm diuisio sub compositione contineatur, vt ex sequenti art. clarum erit. Dico, Compositionem ptopriè acceptam, & diuisionem, esse species disparatas compositionis largè acceptæ: & ideo cùm à Scoto in definitione secunde intentionis accipiatur cõpositio strictè, inter ipsam & diuisionem potest poni disiunctio. Ad secundũ dubium respondeo: Et dico primo, Logicũ aliquando cõponere, ac diuidere aliqua,

Dubium.

Responsio

Ad secũdum dubium.

non

non aduertēdo an in ipsis cōtingat esse verum, vel falsum; vt clarum est ex his, quæ habentur in libris priorum. Quandoque etiam componit, ac diuidit vera, inquantum sunt necessaria, probabilia, vel apparentia: hoc est, affirmat, vel negat ea; inter quæ est complexio necessaria, contingens, vel apparens. Secundò, dico Quòd quamuis Aristot. 3. de anima loquatur de compositione earum vocū, in quibus contingit esse verum, vel falsum: minimè tamen negat compositionem aliquam, licèt fortè nō ita propriā, posse esse aliquorum, in quibus compositis non contingit esse verum, vel falsū; & hoc, quia non sunt voces significatiuę supponentes pro rebus, ad quas voces simul compositæ possint habere adæquationem: nec etiam vult, necesse esse ad hoc vt sit vera compositio, voces componi sub ea ratione, qua in eis potest esse verum, vel falsum: quàmuis, si sint voces significatiuę, necesse sit, quòd in ipsis cōpositis contingat esse verum, vel falsum. Tertiò dico, duplicē esse compositionē, comparatiuam. s. & non comparatiuam; hic Scotus loquitur de comparatiua: Aristot. verò 3. de anima vtramq; comprę- *Duplex compositio.*

hendit

hēdit sub nomine compositionis: & ita per hęc patet quid ad secūdum dubium dicendum sit. Ad tertium dubium dico Scotum hic accipere compositionē propriè; & ideo sibi minimè sufficiebat dicere tantum, componentis: quòd tamē Arist. largè compositionem accipienti satis fuit. Quæres, quare Scotus non accipit compositionem largè, vt fecit Aristot? Dico, propter compositionis propriè acceptæ, ac diuisionis differentiam non sequi actionum intellectus differentiam, seu distinctionem: quàm cùm vbi supra inquirat Phylos ideo sibi satis fuit accipere compositionem largè, p quam primò actio secunda intellectus à prima differt. Quoniam verò propter compositionis propriè acceptę, ac diuisionis differentiam sequitur (cùm est comparatio in ipsis) productio alteri⁹, & alterius speciei secundæ intentionis, ideo nō debuit Doctor accipere compositionem large. Antecedens hoc exemplis declaratur. Enunciationis enim affirmatiuæ formaliter acceptæ productio, præsupponit cō positionem propriè acceptam: & negatiua, diuisionem. Hoc idem patet de syllogismis existentibus in Barbara, & in Ce-

Ad tertium dubium.

Dubiūm

Celarent, qui ſpetie diſtinguuntur, vt & enunciatio affirmatiua, & negatiua. Per hæc ad dubium, dico, Doctorem nõ debuiſſe accipere compoſitionem largè in definitione ſecundę intẽtionis, quia aliter non eſſet bona definitio; qa nec data eſſet per cauſam propinquam ſpecificatiuam. Obiicies, comparationem non eſſe cauſam ſecundarum intentionum. Nec etiam ſecundæ intentiones conſtituũtur in eſſe ſpecifico per comparationem; ergo nec diſtinguuntur ſpetie per comparationem: probatur conſequẽtia, quia idem eſt diuiſiuum generis, conſtitutiuumque, ac diſtinctiuum ſpeciei. *Obiectiones duæ.*

Reſpondeo, ac dico, quòd ſi ſecundæ intentiones cauſantur per actum comparatiuum intellectus, tunc comparatio paſſiua non erit cauſa ſecundarum intẽtionum; niſi vt effectus prior eſt cauſa effectus eſſentialiter poſterioris. Comparatio tamen actiua erit illarum cauſa, licet in ſecundo ſigno, vt dixi ſupra. ſi autem per actum productiuum cauſantur, comparatio erit ſaltem illarũ cauſa, ſine qua non. *Reſponſio*

Ad aliud dico differentiam eſſe formaliter diuiſiuam generis; & intrinſece conſtitutiuam, & diſtinctiuam ſpeciei. *Ad ſecundam dubitationẽ*

Ex-

Extrinsecè tamen, & manifestatiuè cõparatio pōt dici constitutiua, ac distinctiua speciérum secūdarum intentionum: & ideo ista definitio secundæ intentionis est data per causam propinquam, exrrinsecè, & manifestatiuè distinctiuam secūdarum intentionum. Ex his omnibus patet, quid nam est secunda intentio. Et quid ad illud, quòd primò in hoc articulo quęrebamus dicendum sit. Est enim secunda intẽtio relatio rationis; & est ẽt comparatio passiua nō equidem formaliter, sed consecutiuè: sequitur enim ad passiuā comparationē obiectorū, vt effectus essentialiter posterior ad priorem effectum: vel vt effectus ad suam causam, sine qua non. Ad illud, ꝙ iuxta hoc quęrebatur in initio huius art. dico, secundā intẽtionem esse relationem rationis qua obiectum cognitū refertur ad aliud, vel ad se ipsum cognitum per solum intellectum, vt supra dixi in hoc art. Et cùm ꝓbas ꝙ non; Quoniam omnis relatio &c. Dico istam inesse per solam intellectus operationem: nec tamen est figmẽtum, qa ipsi correspondet aliquid extra, à quo mouetur intellectus ad ipsam causandā, vt super 4. q. vniuersaliū Scoti declaraui.

Ad primum dubium huius art.

Secunda intentio est comparatio passiua.

Ad secundum dubium huius art.

Ar-

Articulus Quintus.

QVia communiter tenent multi, ſecundas intentiones derelinqui, & non cauſari ab intellectu. Ideo quæro,

An defendere poſſit quis intellectũ ipſas cauſare?

Et videtur quod non. Nam ſi eas cauſaret, hoc eſſet vel per actum intelligendi, vel per actũ collatiuum, vel per actũ productiuum. Primum non eſt dicendum: quia talis actus eſt finis potentiæ, vt ex Scoto 1.d.2.par.2.qõ 3.& quæſt. 13. quol. patet, & ideo illo actu nihil produci poteſt. Nec ſecundum eſt dicendum; cum ſola comparatio aliquorum cognitorum ad inuicem non ſit alicuius productiua. Nec deniq; vltimum eſt dicendum. Intellectus enim non habet actum productiuum niſi reſpectu actus intelligẽdi, ac ſpeciei intelligibilis; quod videtur eſſe de mente doctoris. 1.d.3.q.6 & 7. Præterea, Conueniens fit à conuenienti, ſeu ſimile à ſuo ſimili, ſpetie vel genere: ergo ſi intentio ſecunda cauſaretur ab intellectu, cũ intellectus ſit ens reale, & intentio ſecunda erit ens reale.

Ad

tatis, qua intellectus dicitur formaliter intelligens, potest diuidi vel secundum famosiorem eius differentiarum, diuisione ducta ex substãtia, & natura intellectionis: vel diuisione sumpta à modo quo intellectio tendit in obiectum. Primo modo diuiditur ab Arist. 3. de anima tex. com. 21. in indiuisibilium intelligentiam, ac in compositionem: Intelligentia indiuisibilium est actus intellectus de genere qualitatis, in quo non contingit esse falsum. Quæres, qua ex causa actio ista vocatur indiuisibilium intelligentia? Dicendum est hoc ideo esse, quoniã ipsa est indiuisibilis, ac fit in rebus indiuiduis, temporeque similiter indiuiduo perficitur. Vel secundũ alios, quia est in vocibus simplicibus: & hinc est quod nõ accipitur hic indiuisibile propriè, pro indiuisibili mathemathico, sed transumptiuè. Isteque actus est de genere qualitatis, & nõ est de genere actionis, quia nec est actus productiuus. Quo actu apprehẽdit intellectus ea in quibus non contingit esse falsum: & ideo in tali actione nõ erit falsitas. Probatur: nam falsitas occasionaliter, & originatiuè est in rebus, formaliter verò in intellectu, cum autẽ de-

Intelligẽtia indiuisibiliũ quid.

Dubium.

 ficien-

ficiente causa cesset effectus, ideo si non erit falsitas in re apprehensa, nec per consequens erit in intellectu, nec in actu.

Dubium. Quæres an eodē modo falsitas sit in intellectu, & in eius actu? Dico quòd non. Nam & si in vtroq; sit tanquàm in subiecto; est tamē in intellectu, vt in subiecto quod, & in actu vt in subiecto quo. Dubitabis etiam, An sicut falsitas, ita & veritas huic actioni inesse minimè possit? Quidam putant in hoc actu veritatē nequaquàm esse posse, Nec Arist. de ea mētionem facere necesse fuit: quia cum apposita circa idē nata sint fieri, excludatq; Philosophus ab actione ista falsitatem, negabit etiam per consequens ab ea veritatem. Io. tamen Grammaticus 3. de anima tex. com. 53. existimat hoc esse verū de veritate falsitati opposita, non autem de veritate substantiua. Etiam Alexander de Ales 7 met. tex. comm. vltimi, dicit, veritatem enunciatiuam non esse in hoc actu, secus autē est de apprehensiua. Ant. quoque Andreas 6. met. quæstione vltima, distinguit de veritate cōplexa, & incomplexa. Complexā (cui falsitas opponitur) non esse in simplicium intelligentia, affirmat: incomplexam verò nō

In simplicium intelligētia an possit esse veritas.

Veritas, dupliciter accipi potest.

esse, negat. Altera actio intellectus vocatur compositio, non equidem rerum, aut vocum, sed notionum. Vnde non vocatur compositio solùm eo quòd ipsa composita intelligamus, idest, non ratione rei intellectè: quia aliter cum Deus intelligat composita, intelligeret per compositionem, quod tamen est impossibile, cùm nulla imperfectio sit in ipso. sed dicitur compositio ratione ipsiusmet intellectionis: quia scilicet est compositio aliqua ex parte intellectus. *Quare secunda actio vocatur cōpositio.*

Quæres, quomodo est compositio ex parte intellectus? Quidam dicunt, in intellectu esse duas intellectiones realiter distinctas, vt puta intellectio qua intelligimus animal, & qua intelligimus hominem, ex quibus intellectionibus p sui aggrauationem cōstituitur tertia, quę vocatur compositio. Alij verò nolunt plures actus esse simul in intellectu; facientes vnum per aggregationem. Sed compositionem esse vnum simplicem actum per essentiam, virtute continentē duos actus precedentes, affirmant. Et iste secundus actus debet poni in intellectu nostro secundum Diuum Thomam prima parte summæ, q. 58. art. 4. & secundū *Quomodo ex parte intellectus est cōpositio.* *Compositio quaro debet poni in nostro intellectu.*

Durandum.1 d.38.q.2. propter debilitatem, ac imperfectionem virtutis nostræ intellectualis. Cum enim intellectus noster nequeat vidēdo principia, seu subiectum, simul inspicere quicquid in eò virtute cōtinetur, ideo ratiocinatione eget. similiter apprehendendo subiecti quidditatem, cum non simul illo actu habeat notitiam omniū quæ subiecto attribui, aut ab ipso remoueri valent, sed diuersis actibus intelligat subiectum ac sibi attributa: idcirco indiget compositione, quę fit vel componēdo illos actus simul, vel tertium causando, ex necessitate supponentem duos præcedentes. Isteq; actus definiatur sic. Compositio est actus intellectus de genere qualitatis in quo cōtingit esse verum, vel falsum. Et diuiditur in affirmatiuam, ac negatiuam: affirmatiua vocatur propriè compositio, negatiua verò diuisio. Non desunt tamen aliqui existimantes nomen compositionis, ac diuisionis vtrique compositioni affirmatiuæ, & negatiuæ accommodari posse: quere Io. Grammaticum, ac Simpliciū.3. dē anima, vt nosti. Hæc de diuisione intellectionis sumpta ex eius substantia, & natura dicta satis sint; nō enim

Compositio quid.

Diuisio cōpositionis.

exactè

exactè omnia hoc in loco de istis actibus declarare intendo. Si verò diuidere volumus actionem intellectus, diuisione sumpta à modo quo in obiectũ fertur: sic dico ipsam secari in rectam, & reflexam. Recta est qua intellectus fertur in obiectum extra vt in terminum, directè, ac absolutè. Dico primo in obiectum extra vt in terminũ, & directè: ad differentiam actus reflexi, quo intellectus nec in obiectum extra, nec directè, sed tantum cõuersiuè ferri valet. Dico vlterius absolutè ad differentiam actus collatiui, quo intellectus comparatiuè tendit in obiectum. Dubitabis contra istam definitionem. Nam si actu recto intellectus fertur in obiectum absolutè; cum igitur relatiuum non sit absolutum, non poterit hoc actu intelligi: quod tamẽ est falsum, quia quandoque nõ intelligitur comparatiuè, nec conuersiuè, ergo rectè. Dico aliud esse ferri super rem absolutam, & aliud super rem absolutè; sicut aliud est cognoscere rem confusam, & aliud cognoscere rem confusè: nam primum vtrobique se tenet ex parte rei, cuius est determinatio, denotans eius modum essendi: secundum verò determinat ly

Actus rectus quid.

Relatiuũ an actu recto intelligi queat.

Relatiuũ intelligi potest absolutè.

ferri, & cognoscere. Et ideo quemadmodū confusum cognosci potest distinctè, ac distinctum confusè: ita & absolutum potest intelligi non absolutè, sed comparatiuè; & relatiuum non cōparatiuè, sed absolutè. Actus reflexus est quo intellectus tendit cōuersiuè in terminum: qui terminus est, vel actus præexistens in potentia, vel potentia cognoscēs vt cognoscens, vel obiectum cognitum seu productum ab intellectu, vt tale. Hic quattuor quæres. Primo, quę est causa reflexionis? Secundo an actus rectus, & reflexus sint idem actus? Tertio, à quo causatur actus reflexus? Quarto, quis horum actuum est perfectior. Ad primum communiter dicitur, causam reflexionis esse immaterialitatem potentię: vide Scotū 2. d. 38. in responsione vltimi principalis: & hinc est quod sensus non est reflexiuus. Contra hoc tamen arguit Franciscus 1. d 3. q. 11 Nam potentia Dei productiua, & motiua Angeli sunt immateriales, non autem sunt reflexiuè; ergo ratio reflexionis non est immaterialitas. Ad hoc respondeo proponendo tria. Primum sit. Non cuilibet potentię conuenit reflexio: sed tantum cognitiuis, ac appeti-

Actus reflexus, quid.

Quatuor dubia.

Quæ causa reflexionis.

Rō Francisci.

Responsio

Reflexio, quibus potētijs conpetit.

peti-

petitiuis: ac ideo potentia motiua non erit reflexiua, hoc modo loquendo de reflexione, quia inquantum talis nō est cognitiua, aut appetitiua. Secundum sit. Non cuilibet potentię cognitiuæ, aut appetitiuæ conuenit reflexio, sed immaterialibus tantum: ideoque nec sensus, nec appetitus sensitiuus sunt potētiæ reflexiuæ, quia nec immateriales. Tertium sit. non quælibet potentia cognitiua, aut appetitiua immaterialis est reflexiua. sed illa tātum quę potest habere diuersa obiecta realiter distincta, in quorum vnum per actum rectum, & in aliud per reflexum tendat: & quæ etiam diuersos actus realiter distinctos habeat: idcircò cùm intellectus Dei non habeat diuersa obiecta realiter distĭcta, nec ēt diuersos actus similiter distinctos, non erit reflexiuus. Ex his patet solummodo potentiam cognitiuam, aut appetitiuam immaterialē, habentem diuersa obiecta realiter distincta, & diuersos actus simili modo distinctos, esse reflexiuā. Ex quo sequitur potentias productiuam Dei, & motiuā Angeli, non esse reflexiuas, licet sint immateriales. Ad secundum dubium, Dico, duas esse opiniones oppositas circa hoc,

Omnibus potentijs cognitiuis & appetitiuis non conuenit reflexio.

Non qualibet potētia cognitiua, & appetitiua immaterialis, est reflexiua.

Potentia reflexiua qua.

Actus reflexus, & rectus, an sint idem actus?

quæ recitantur cũ suis motiuis à Gulielmo Ocham. 2. q 21. & à Francesco 1. d. 3. q. 11. art. 2. Potior tamen illarum opinionum est tenẽs istos actus distingui: nam cum nullus actus sit sui ipsius obiectum, & actus rectus sit obiectũ actus reflexi, ergo actus rectus & reflexus differũt. Minor ex sequenti dubio clara erit; maior verò probatur. Mensura actus est obiectum, nil est sui ipsius mensura, ergo nihil est sui ipsius obiectum. Sequeretur etiam si essent idẽ actus, quòd cognitio intuitiua & abstractiua esset eadẽ; quod est falsum, vt predicti doctores vbi supra ostendunt. Quæres, An simul possit quis esse in actu recto, ac in actu reflexo? Dico ꝙ sic, quia actu reflexo percipit se esse in actu recto, cũ est in tali actu. Dices, quod est vltimatè in vno actu, nõ potest esse in alio: si igitur qs est in actu recto vltimatè, non poterit esse in actu reflexo. Dicẽdum quòd esse vltimatè sub aliquo; vel est esse finaliter in ratione vltimi finis sub illo: vel est esse perfectè (licet non in ratione finis) sub illo. Primo modo nullus potest esse vltimatè sub actu recto, quia actus rectus non est finis alterius. Secundo autem modo potest aliquis sub

An simul qui possit esse in actu recto, ac reflexo?

Obiectio.

Esse vltimatè in aliquo dupliciter.

duobus

duobus actibus esse vltimatè, quia vterq; actus terminat potētiam in suo ordine. Ad tertium dubium, Dico: Actum reflexum, secundum Ocham. 2. q. 25. causari ab actu recto tanquàm ab obiecto; nō præexistente enim recto nec reflexus esse potest: & ab actu volendi, quo voluntas vult actum rectum intelligi: nam sine imperio voluntatis actus reflexus esse nequit, vt etiam vult Adam Goddam. 1. d. 1. q. 10 art. 3. dubio 3. Et hoc Scotus quoque. 1. d. 6. q. vnica, asserit esse verum de omnibus actibus intellectus alijs à primo: quia respectu primi potest volūtas se habere tantum vt complacens, non autem vt imperans, & principiās. Ad quartum dubiū dicit doctor subtilis. 1. d. 27. q. 1. in quadam additione, & sunt verba eius. In omni actu reflexiuo potest haberi aliquis actus rectus perfectior: quia actus rectus intellectus, quo intelligit quidditatem, est perfectior eo actu quo intelligit intellectum intelligere, quia habet obiectum nobilius. Sed instantia contra hoc adduci potest. Nam actus rectus quo intelligo quantitatē est imperfectior actu reflexo, quo intelligo illū actum rectum: nā rectus habet pro obiecto

Actus reflexus, à quo causatur.

Quis nobilior, an actus rectus, an reflexus?

Obiectio.

cto quantitatem, & reflexus qualitatem; quæ à toto genere est perfectior quantitate per Doctorem.4.d.12.q 1.& 2. Bargius super Scotum.d.6.1 vult dictũ Scoti habere veritatẽ de actu recto, quo obiectum primo & per se intelligibile percipitur. Vel aliter dicit. Actum rectũ vniuersaliter esse perfectiorem actu reflexu ratione dependentiæ; quia ab ipso reflexus causatur. Sed contra hoc est, quia loquitur Scotus de perfectione quæ habetur non ratione dependentiæ, sed ratione obiecti. Contra primam responsionẽ est quia loquitur doctor de omne actu reflexiuo, quod patet ponderando ly omni. Propter has instantias dicit Bargius illam non esse litteram doctoris; & ideo in eodem primo tenet quandoque actum reflexum esse perfectionem actu recto. Ego tamen teneo illam litterã esse veram: quam dupliciter declaro, respondẽdo ad ea quæ obijci possunt. Prima declaratio, ac responsio in quattuor dictis continetur. Primum quorum sit. Licet obiectũ existens causa reflexionis sit tantum actus rectus, seu actus præcedens: tamen terminus reflexionis potest esse nedum actus præcedens, sed etiam poten-

Responsiones aliorum.

Contra.

Propria responsiones.

Declaratur dictũ Scoti 1.d. 27.q.1.

tia vt cognoſcens, & obiectum vt cognitum: & cũ actus diſtinguantur per obiecta termināntia (à quibus eſſentialiter dependent) actuſque precedens, potentia vt cognoſcens, & obiectum vt cognitum ſint obiecta diſtincta: ideò diuerſi erũt actus reflexi quibus hæc obiecta intelligimus. Secundum dictũ ſit Quamuis potentia intellectiua ſimpliciter ſit nobilior qualitate, ac quantitate: nõ tamen hoc poſtea eſt verum inquãtum eſt cognoſcens; quia vt talis eſt relatiua. Exẽplum eſt de Socrate, qui licet ſimpliciter perfectior ſit albedine: non tamen poſtea quatenus pater ea eſt perfectior, quoniam relatiuum à toto genere eſt imperfectius qualitate ac quantitate. Tertium dictum ſit Scotus vbi ſupra non tantum de actu reflexiuo, quo intelligimus actũ rectum: ſed de alijs quoq; actibus reflexiuis terminãtibus ad alia obiecta loquitur. Hoc patet ponderando ly omni poſito in illa auctoritate, ac exemplũ eius. Quartum dictum ſit Scotus nõ habet in illa littera. Actum rectũ ſemper eſſe perfectionem quocunque reflexiuo. Sed dicit ꝙ, in omni actu reflexiuo &c. Hocq; eſt verũ; nam quandoque rectus eſt perfectior

Plura ſunt actꝰ reflexiui.

Potentia vt cognoſcens, eſt imperfectior quãtitate.

fectior reflexiuo, quo intelligimus rectũ: vt cum actus recti obiectum est substantia. Quandoq; verò rectus est imperfectior reflexiuo, quo ipsum ꝑcipimus: vt cum recti obiectum est qualitas, vel quantitas: non tamen tunc est imperfectior actu reflexiuo quo intelligimus potentiam vt cognoscentem, seu obiectum vt cognitum; quoniam tunc obiectum recti est absolutum, & reflexi respectiuum. Sed dubitatio non aufertur propter hoc; non enim semper videtur verum quod in omni actu reflexiuo possit haberi aliquis rectus perfectior: nam quilibet actus reflexus, sequens actum rectum, quo intelligimus relationẽ, & secundas intentiones, videtur semper nobilior illo actu recto: quia ille actus reflexus vel respiciat actum rectum vel potentiam, vel obiectum vt cognitum, videtur semper esse circa nobilius obiectum, quàm rectus respiciens relationẽ, aut secundam intẽtionem pro obiecto.

Dubium de relatione, ac secũdis intentionibus.

Duplicem affero responsionem, primoque dico. Actum rectum, quo relationem realem, seu rationis intelligimus, esse perfectiorem saltem illo actu reflexo, quo tales relationes esse cognitas percipimus:

Duplex responsio.

primus: qa talis actus rectus habet nobilius obiectum: relatio enim in se est nobilior, quàm ipsa met cognita: nam esse cognitum semper diminuit. Et hoc sufficit ad Scoti auctoritatis veritatem. Vel aliter dico. Secundas intentiones intelligi non actu recto, sed reflexo: nec actus reflexus præcedens propter Scoti auctoritatem debet dici perfectior subsequente: quia nec etiam Doctor loquitur de quocunq; actu præcedente, sed de recto: & ita concedo actum rectum (virtute cuius causamus, ac intelligimus secundas intentiones) esse perfectiorem actu reflexo. Vel alio modo exponatur auctoritas illa supra adducta. In omni actu reflexiuo (idest in toto genere actuum reflexiuorum) potest haberi aliquis actus rectus perfectior: & hoc sic exposito, verum erit; actum rectum quandoq; esse perfectiorem reflexo; quandoque verò e conuerso: talis enim propositio tunc erit non vniuersalis, sed indefinita; ad cuius veritatem sufficit singularem esse veram: exemplifica de ista: Homo est albus, vt nosti Per hæc patet quid dicendum sit ad illud obiectum contra Scotũ. **Diximus, actuum intellectus, quosdam**

Altera responsio ad idem.

Alia declaratio auctoritatis Scoti.

esse actus intelligendi (de quibus iam satis) & quosdam esse actus intellectus; de quibus modò sermo habendus est. Dico igitur, quòd actuum intellectus, qui nõ sunt actus intelligendi, quidam est actus productiuus, quidam comparatiuus: de actu productiuo satis dixi superiori articulo. De actu igitur comparatiuo, qui inter actus intelligendi minimè connumerari solet, aliquid proponamus. Act⁹ igitur comparatiuus est quo intellectus in diuersa obiecta cognita, vel in idem per modum iudicij comparatiuè tendit. Nota duplex esse conferre; quodam cõpetit obiecto ex natura obiecti, & hoc est reale: quodam sibi non ex natura obiecti competit: & hoc est duplex; vnum per modum iudicij, ac cognitionis; aliud per modum vsus, ordinis, dilectionis, ac acceptationis. Quæres, quare intellectus & voluntas sunt potentiæ collatiuæ? Dico, secundum Scotum 2. d. 38. responden do ad vltimum principale, & in quolib. q. 17. art. 2. comparare competere his potẽtiis propter earum immaterialitatem. An verò hæc sit causa præcisa collationis? de hoc aliàs. Quæres etiam à quo causatur actus comparatiuus intellectus?

De actib. intellectus, qui non sũt actus intelligendi.

Actus cõparatiu⁹, quid.

Conferre, duplex.

Intellect⁹ & voluntas, quare potentiæ collatiuæ.

Dicit

Dicit Ocham 2. q. 25. ſufficienter ipſum cauſari à notitiis incomplexis terminorum, & ab actu voluntatis, quo ſimplici appræhenſione cognita cõparari iubet. Quæres quoque. An actus collatiuus ſit vnus actus? Dicit Doctor primo reportatorum d. 38. quòd actus collatiuus eſt vnus; & tamen eſt duorum. Dices quomodo eſt duorum? Dico quòd eſt duorum, quia eſt circa duo obiecta cognita: quę vel verè ſunt duo; vel ſunt vnum ſe habens vt duo: quod tunc eſt, cùm intellectus vtitur vno vt duobus. Quæres. Deſtruũturne illi duo actus qui ſunt circa illa obiecta, cùm ſuperuenit actus collatiuus? Dico ſecundum Doctorem in reportatis vbi ſupra, ꝙ non: ſicut enim viſus ſimul habet actum albedinis diſtinctum ſecundum ſe, & nigredinis ſecúndum ſe, quando actu iudicat diuerſitatẽ. Sic intellectus quando habet actum collatiuum duorum, habet actum diſtinctũ vtriuſq; extremi ſecundum ſe. Diuiſo actu intellectus, declaratiſq; membris diuiſionis: nunc reliquum eſt oſtendere circa hoc primum, quomodo vnus actus eſt in alio. Dico igitur primò: Actum rectum eſſe in ſimpliciũ intelligentia: & eſt

Actus cõparatiu⁹, a quo cauſatur.

Actus collatiu⁹, an ſit vnus actus?

Actus collatiuus, quomodo eſt duorũ

Dubium.

Reſponſio

est cum actu aliquo in quo non cōtingit esse falsum, obiectum extra directè, ac absolutè appræhenditur. Similiter in hoc actu est actus reflexus: & est cum actu in quo non contingit esse falsum, conuersiuè appræhenditur vel actus preexistens, vel potentia vt cognoscens, vel obiectum vt cognitum, seu productum, Verbi gratia cum simplici intelligentia speciem, aut genus apprehēdo, hoc modo simplici ac reflexo actu cognosco: si verò hunc vel illū hominem apprehendo, indiuiduo ac recto actu illum percipio. In compositione etiam est vterque horum actuum. Est tunc actus rectus: Cum actu præsupponente duos actus, aut ex duobus aggregato, in quo contingit esse verum vel falsum, directè, ac absolutè aliquid, vel aliqua concipiuntur. Est in compositione actus quoque reflexus: Estq; cū actu (præsupponente duos actus, vel ex duobus aggregato, in quo contingit esse verum, vel falsum) conuersiue concipitur actus præexistens, & cętera vt supra. Exemplum primi, est cū intelligo hominem esse animal. Exemplum secundi, est cum intelligo genus esse vniuersale. Vlterius dico quòd in om-

Actus rectus sit in simpliciū intelligentia.

Actus reflexus est in simplicium intelligētia.

Actus rectus est in cōpositione.

Omnibus his actibus poteſt eſſe act' collatiuus. Eſt in ſimplicium intelligentia cum obiectum ſimpliciter apprehēſum ad aliud ſimiliter cognitū, ſeu ad ſe ipsū comparatur. Quæres, quomodo comparatio eſt in ſimplicium intelligentia? Dico quòd conſecutiuè, ſeu vt effectus in ſua cauſa. Eſt etiam in compoſitione cōparatio, non ratione notitiæ complexę, ſeu ratione compoſitionis; ſed ratione notitiæ terminorum incomplexorum: quia nec etiam actus iſte cauſatur à notitiis complexis, ab incomplexis terminorum, vt ſupra diximus. Quæres, quomodo comparatio eſt in compoſitione? Dico quòd nō formaliter, ſed conſecutiuè mediatè, quia mediāte notitiis terminorum incomplexorum. At non parua dubitatio ſe ſe nobis offert. Cum enim quilibet actus diſcurrendi ſit formaliter collatiuus: & quilibet actus diſcurrendi ſit etiam formaliter cōpoſitio; ſequitur aliquam compoſitionem formaliter eſſe actum collatiuum: & per ſimplicē conuerſionem actum collatiuū eſſe formaliter compoſitionem. Probatur maior. Secunda intentio ſequitur tantū ad actū collatiuū, ſed ſequitur ad actum diſcur-

Actus reflexus eſt in ſimplicium intelligētia.

Quomodo ſit declaratur.

Actus collatiu' eſt in compoſitione.

Dubium tollitur.

Diſcurs' an ſit cōpoſitio?

rendi, ergo actus discurrendi est collatiuus. Probatur minor, nam compositio diuiditur in categonicam, & rationalẽ. Dico, Actum discurrẽdi, ac syllogizandi nõ esse actus apprẹhẽsiuos. Probo, nam facere syllogismũ nõ est aliquid de nouo appræhẽdere, vt patet: sed est formare ac disponere propositiones in modo, ac in figura. Et hinc est falsæ opinionis esse, connumerantes discursum inter intellectus actiones de genere qualitatis Quæres, à quo causantur actus discurrendi, & syllogizandi. Dico quod possumus de actibus istis loqui, vel vt sunt præcisè tales actus discurrendi: vel vt sunt actus adhæsiui. Si primo modo de eis est sermo, sic dico eos causari à notitiis incomplexis terminorum, & ab actu volũtatis, quo talia complexa vult formare: ratione enim notitię incomplexæ quam de homine, & risibilitate habeo, possum formare, ac disponere propositiones syllogisticas, & sic discurrere. Vt verò sunt actus adhæsiui causantur tãtum ab obiecto: vnde licèt notitia causetur ab intellectu, & ab obiecto; assensus tamen ab obiecto totaliter causatur. Quæres, an isti actus vt sunt adhęsiui, causentur etiã à vo-

Actus discurrẽdi, ac syllogizandi nõ sunt act⁹ apprahensiui.

Actus discurrẽdi, ac syllogizandi, à quo causatur.

Actus intellectus, vt sunt adhæsiui, à quo causantur.

à voluntate? Dico, quòd quamuis voluntas possit intellectum a consideratione alicuius veritatis auertere: sunt tamen aliquæ veritates tàm euidentes, quòd si voluntas non auertát intellectum à consideratione, ipsis necessario, etiam cōtra voluntatis imperium assentit. Quæres, à quo in propositionibus per se causatur assensus? Dico, quòd à cognitione terminorum: notis enim terminis statim intellectus eis assētit, vt habet Doctor 3. q. prologi, & 1. d. 2. q. 2. Quæres hoc idē de propositionibus contingentibus. Dico, quòd visis extremis, ac eorum vnione intellectus ipsis assentit: habēt enim euidētiam contingentes propositiones ex intuitione extremorum, & vnionis eorum, vt quæstio 3. prologi habet Scotus. Loquēdo verò de propositionibus neutris, vel dubiis, quæres à quo & ipsæ habent euidentiam? Dico, quòd ab aliis euidentioribus, & à forma syllogistica: scientia enim conclusionum non dependet nisi ex intellectu principij, & ex deductione conclusionum ex principio, vt quæst. prima prologi habet Doctor subtilis. Hęc de actibus intellectus dixisse volui, vt intelligantur multa, quę hic, ac

Actus, ut sunt adhæsiui, an causētur à voluntate.

Assensus in propositionib. per se, vnde causetur.

Assensus in contingentibus propositionibus, vnde causetur.

Propositiones neutræ, vel dubiæ, à quib. habet euidētiam.

super vniuersalia Scoti dixi. Est modo secundo loco in hoc articulo declaranda illa famosissima propositio. Conueniēs fit à conuenienti, seu simile à suo simili. Hanc propositionem Auerroes duobus in locis precipuè glosat. Secundo cœli com.42. circa finem dicit, ipsam habere veritatem tantùm in substantiis, & non in accidentibus. Nam nigredo quandoque à calore, & quandoque à frigiditate: & calor aliquando à calore, & aliquando à motu generatur. Duodecimo verò met.com.24. citat Alexandrum asserentem illam propositionem veram esse, tribus seruatis conditionibus: scilicet vt sit in agente, nō in instrumento: in propinquo, non in remoto: & in agente essentialiter, non accidentaliter. His notatis, dico ad dubium in hoc articulo quęsitū. Intellectum esse causam propinquam, & illimitatam secūdarum intentionum. Quod sit causa propinqua, probo ꝑ Scotum, in sua grāmatica speculatiua, quinto prænotato asserentem modum significandi (qui est quædam secunda intentio) esse in intellectu, vt in sua causa efficiente propinqua. Quod sit causa illimitata, probo; nam Doctor hoc dicit in

Cōueniēs fit à continenti, seu simile à suo simili, quo modo intelligat.

Intellect⁹ quæ causa secundarū intentionū.

Intellect⁹ est causa propīqua secūdarū intentionum.

sua

ſua grãmatica, ſecũdo prænotato: & etiã 1.d.3.q.7.hoc idem aſſerit. Vnde ad hoc vt agat, eget determinari (non ab aliqua forma alia à ſe, cum eius indeterminatio non ſit propter defectum actus, ſed propter illimitationem virtutis actiuæ) vel per cauſam particularem determinatam; vel per præſentiam obiecti. Per hęc, & per ea, quæ ſuperiori articulo dixi, reſpõdeo ad argumenta ante oppoſitum adducta. Ad primum dico. Secundas intentiones cauſari vel per actum productiuum, prȩſupponentem comparatiuũ; vel per extremum actus comparatiui.

Intellectꝰ eſt cauſa illimitata ſecundarũ intentionũ.

Ad primum argumentũ principale.

Ad ſecundum, diximus, propoſitionem illam non ęſſe veram in accidentibus, & hoc propter imperfectionem ſuæ naturæ, vt dicit M.Ant.Zimara Theorem. 16. & ideo cùm ſecundæ intentiones ſint accidentia imperfectiſsima, nõ ſequitur quòd ſi cauſa eſt realis, & ipſæ ſint realia entia. Vel aliter diçi poteſt, qũòd intellectus eſt cauſa remota ſecundarum intẽtionum: nec in cauſis remotis verũ eſt, conueniens fieri à conuenienti. Sed cõtra obiicies, quia iam ſupra ex Scoti intentione diximus intellectum eſſe causã propinquã: nõ igitur erit cauſa remota.

Ad ſecũdum argumentũ

Alia reſponſio.

Obiectio.

Propinquum, & remotum dupliciter.

Dico, propinquum, & remotum posse dupliciter accipi. Propinquum enim quandoque idem est, quod determinatum; & quandoque idem quod immediatum, & proximum. Remotum similiter, aliquando idem est quod illimitatum; & opponitē propinquo primo modo: aliquando verò idem est, ac mediatum, & opponitur propinquo secundo modo. In glosa Alexandri, propinquū & remotum accipiuntur primo modo. Et sic dicebam nunc intellectum esse causam remotam, & non propinquā secundarum intētionum. Cùm autem dixi supra, intellectum esse causam propinquā; accipiebam propinquum secūdo modo; & sic nulla est contradictio.

Intellect⁹ quomodo causa propinqua, & remota secundarū intentionū.

Ad aliam quæstionem, quæ collateralis erat, breuiter dico; Quòd si ly realiter est determinatio principij; sic intellect⁹ est principium realiter productiuum secundarum intentionum. Si verò est determinatio termini, sic intellectus nō est tale principium: & per hoc patet quid dicendum est ad argumentum ante oppositum; & ad dubia illa.

Intellect⁹ quomodo est principium realiter productiuū secundarū intentionum.

Ar-

Articuls Sextus.

IN ſuperiori articulo determinauimus intellectum, eſſe veram cauſam ſecundarum intentionum, Hic conſequenter inquirendum eſt:

An ſecunda intentio ſit ita à ſolo intellectu, quòd proprietas eius cauſa efficiens nequeat dici?

Et videtur quòd ſic. Nam quæſtione 11. vniuerſalium, ac alibi ſæpe aſſerit doctor, non rem, ſed intellectum eſſe earũ cauſam efficientem. Ad oppoſitum tamen eſt ipſemet Doctor in ſua grammatica quinto prænotato, Dicens, modum ſignificandi eſſe in proprietate rei, vt in ſua cauſa efficiente, radicali, & remota. *Ad oppoſitum.*

Iuxta hoc quero. An proprietas poſſit aliquo modo dici cauſa vniuoca iſtarũ intentionum? Videtur quòd non. Nam tunc eſt vniuocatio in cauſa, quando cauſa & effectus ſunt eiuſdem ſpeciei: proprietas verò & intentio ſecunda nõ ſunt eiuſdẽ ſpeciei, imo nec generis ſubalterni, nec generaliſſimi: ergo ꝓprietas nullo modo debet dici cauſa vniuoca harũ intentionum. Oppoſitum tamen clarũ *Aliud dubiũ, quod eſt collaterale.* *Ad oppoſitum.*

erit ex infra dicendis. Et potest sic persuaderi. Causa producens effectum sibi similẽ, est vniuoca: proprietas est talis causa respectu secundæ intentionis: ergo &c. Ad quæstionem dico, Quod quodlibet agens ex se indeterminatũ ad plures effectus, necesse habet determinari ab aliquo agente ex se determinato: quia aliter cùm propter sui illimitationẽ non magis iste, quàm ille effectus producatur, quilibet effectus productus esset à casu, quia non à causa determinatè intẽdente illum. Cum igitur intellectus sit ex se illimitatus ad secũdas intentiones, quia nec magis vnam quàm aliam quantum est ex se producit: ideo habet determinari ab aliqua causa particulari partialiter concurrente cum ipso ad causationem illarum secũdarum intentionum: ista autem causa est rei proprietas: ergo proprietas est causa efficiens secundarũ intentionum. Hoc totum confirmatur. Nam Scotus q.9 vniuersalium, ac alibi, vult, proprietatem in natura repertã mouere intellectum ad intẽtionem causandam: at mouere intellectum non est nisi partialiter causare: si igitur proprietas mouet intellectum ad intentionem causan-

Probatur proprietatem esse causã efficientem secundæ intentionis.

Cõfirmatio.

ſandam, & ipſa partialiter eam cauſabit. Sed contra iam determinata inſtabis. Quicquid eſt à re, eſt reale; igitur ſi ſecũda intentio eſt cauſata à proprietate rei, erit ens reale: ſed hoc eſt falsũ: ergo &c. Item communiter dicitur relationem rationis eſſe à ſolo intellectu; non igitur à rei proprietate. Ad primam, Dico, quòd quicquid eſt à re reali, vt à cauſa agente, propinqua, non accidentali, aſſimilante ſibi effectum perfectiſſimè, vel imperfectè eſt reale: deſſiciente autẽ cauſæ propinquæ, ſeu determinatæ aliqua harum conditionem, non eſt neceſſe effectum eſſe realem, ſi cauſa eſt realis; non enim tunc modus eſſendi cauſæ, infert conſimilem modum eſſendi in effectu: licet igitur proprietas ſit cauſa determinata reſpectu ſecundæ intentionis; quia tamen non aſſimilat ſibi effectũ perfectiſſimè, nec imperfectè: ideo non ſequitur quòd ſi ipſa ſit realis, intentio quoq; ſit realis. Vel aliter dicas quòd iſta propoſitio Quicquid eſt à re, eſt reale; habet de rigore ſermonis veritatem tãtum in ſubſtantijs, non autem in accidentibus; in quibus modus eſſendi cauſæ, non infert neceſſario conſimilem modum eſſendi

Duæ inſtantiæ.

Reſponſiones.

Alia reſpõſio ad idem.

Causa nũquam est imperfectior effectu.

in effectu. Hoc declaro. Et si causa nunquàm sit imperfectior effectu, (qa aliter aliquid daret quod non haberet) accidensq; sit posterius tẽpore, ac perfectione substantia (non enim est ens, nisi quia entis 7.met.) non erit causa substantiæ: & propter hoc Phylosophus 1. phy. tex. com. 52. habet pro incouenienti substantiam esse ex non substantijs. Quod an intelligi debeat tantum de substantiis perfectis: an etiã de imperfectis, vt sunt elementa (quæ secundum Commentatorẽ mediant inter substantiam, & accidens: & propter sui imperfectionem ab accidente causari valent: vt ignis ita à motu, sicut ab igne generatur secundũ ipsum) de hoc aliàs; non enim hoc est præsentis inquisitionis. Potest tamen causa esse vel æquè, vel magis perfecta effectu: hincq; est, quòd cũm substantia sit perfectior accidente; & ens reale ente rationis: substantia accidẽtis, & ens reale entis rationis poterit esse causa: & sicut non sequitur, accidens esse substantiam, etsi ab ipsa causatum sit; ita nec sequitur, ens rationis causatur à proprietate reali, ergo ens rationis est ens reale. Ad alteram instãtiam dico. Quòd ly solò potest excludere vel

Ad alteru instantiam responsio.

re vel

re vel ordinem, vel modum causæ: si excludat ordinem causæ, sic falsa est propositio: nam proprietas est & ipsa eius causa efficiens, vt supra ostendi. Si verò excludat modum causæ sic vera est: Solus enim intellectus est causa efficiens immediata, ac principalior secũdarum intentionum, proprietas vero mediata, ac minus principalis. Sed contra predicta dubitabis. Nam si proprietas esset causa propinqua secundarum intentionum, igitur esset & earum causa immediata consequens est falsum: ergo & antecedens. Præterea si intentio esset causata à re, ergo de ea predicaretur in quarto modo dicendi per se: consequens est contra Doctorem q. 11. Vniuersalium, ergo & antecedens. Ad primam dubitationem. Supposita distinctione de propinquo & remoto in superiori articulo immediatè præcedente assignata, Dico, quòd licet intellectus sit causa propinqua, idest immediata, ac indeterminata; proprietas verò determinata ac remota secundarum intentionum: vt habet Doctor in sua Grammatica. 2. ac 3. prænotato: tamen proprietas potest dici causa propinqua, idest determinata earum; in plus

Relatio rõnis, quõ dicit esse à solo intellectu.

Duæ dubitatiões.

plus enim se habet propinquum, quàm immediatum. Et ideo ratio illa committit fallaciam consequentis arguendo à maiori ad minus affirmatiuè. Ad alterā dubitationem dici potest; in quarto modo perseitatis effectum prædicari de suo per se, totali, ac immediato principio productiuo, cuiusmodi non est proprietas respectu intentionis. Per hæc ad argumentum ante oppositū dici potest, Doctorem in illa q. 11. loqui de causa immediata ac principaliori: Vel aliter dicas Scotum ibi loqui secūdum opinionem attribuentium totam causalitatem intellectui respectu intellectionis: secundum eandem enim, istarum quoq; intentionum totalis causatio effectiua erit ab intellectu, & nulla a re.

Qualis est fect° prædicat de causa in quarto modo perseitatis.

Ad argumentum principale huius art.

Alia responsio.

Ad aliud dubium collaterale, Dico, secundum Doctorem subtilem 1. d. 7 q. 1. Vniuocationem in causa accipi non à ratione distinguendi, sed a ratione assimilandi: vnde ratione similitudinis inter causam & causatum adest vniuocatio, cum igitur inter proprietatem & secundam intentionem sit aliqualis similitudo (quia aliter si nulla adesset, diuersitas proprietatum diuersitatem intentionū, &

Vniuocatio in causa, vnde accipiat.

& identitas identitatem non causaret, quod est manifestè falsum) erit etiam ali qualis vniuocatio. Sciendum tamē propter rationes quæ in contrarium adduci possent. Causam tripliciter posse assimilare sibi effectum perfectissimè, perfectè, ac imperfectè. Illa assimidat sibi effectum perfectissimè, quæ effectui eandē formam specificam, ac eūdem modum essendi cōmunicat. Et hoc modo pater dicitur causa vniuoca filij: nam eandem formam specificam, ac eundem modum essendi habet filius cum patre. Illa verò perfectè effectum sibi assimilat, quæ tan tum formæ similitudinem, & non modi essendi effectui tribuit. Vnde ista similitudo non est per communicationē eiusdem formę in numero, vel in spetie; sed tantum est similitudo per imitationem: qualis dicitur esse ideati ad ideam. Et hoc modo domus ad extra dicitur vniuocè fieri à domo ab intra. Quæ autem dat effectui similitudinem formę, non specificæ, sed genericę; ac eundem modū essendi, imperfectè dicitur assimilare sibi effectum. Hocq; modo Equa, & Asinus dicuntur causa vniuoca Muli: nam assimilatur eis mulus in forma generica, ac

Assimilare sibi effectū tripliciter contingit

in modo essendi. Hac supposita distinctione, dico. Proprietatem esse causam vniuocam secundarum intentionū non primo, aut tertio, sed secundo modo; est enim aliqualis similitudo inter proprietatem ac intentionem, non equidem in modo essendi, sed in forma; nam qualis est proprietas rei, talis quoque erit intẽtio, rei immediatè ab intellectu attributa. Et hinc est quod res habentes consimilẽ proprietatem, habent etiam cõsimilem intentionem; vt de homine, ac albedine patet: cum enim possint à differentibus numero participari, vt tota quidditas, ideo eis attribuitur species specialissima: & cum hoc animali nõ conueniat, nam nõ dicit totam specierum quidditatem: ideo nec ei conuenit esse species specialissima. Per hęc patet quid dicẽdum est ad argumentum ante oppositum: procedit enim de causa vniuoca assimilante sibi effectum perfectissimè.

Ad argumentũ ante oppositum.

Ar-

Articulus Septimus.

QVoniam quis quærere posset: An iure Franciscus de Mayronis à Scotistis impugnatur: ideo vt hoc dubium è medio tollatur, Quæro in hoc artic.

An Scotus, & Franciscus de primis, ac secundis int n ionibus loquentes sibi ipsis contradicant?

Et videtur quòd sic. Nam illę opiniones, ad quas sequuntur contradictoria, contradicunt: sed ad opiniones istas sequuntur cōtradictoria: ergo opiniones istæ contradicunt sibi ipsis. Probatur minor: Ad opinionem Francisci sequitur intentiones secundas nō habere esse per solius intellectus operationē: cuius tamen oppositum contradictorium tenet Scotus: ergo &c. Ad oppositum est. *Ad oppositum.* Contradictoria debent accipi respectu eiusdem, & secundum idem: cuiusmodi non accipiuntur istæ duæ opiniones, vt ex infra dicendis clarum erit: ergo &c. Pro huius difficultatis solutione, Primò Francisci opinionem de prima, ac secunda intentione breuiter ponā: Scoti enim *Ordo servandus.* sententia ex supradictis in tertio, ac quin

to articulis satis patet. Secundo modum quendam concordādi Franc. cum Scoto narrabo: quo impugnato, aliter dicam. Vltimò, soluam argumenta adducta cōtra Francis. & Francisci contra Scotum.

Intentio prima & secunda, quid sit, secūdum Franc.

Quo ad primum: Dicitur à Franc. in cōflatu. 1. d. 23. q. 1. Primam intentionem esse quidditatem in esse quidditatiuo: Intelligēdo per quidditatem in esse qdditatiuo, quidditatem pręcisam ab omni alio; quod non est de primo modo dicēdi per se. Secundam autem intentionem esse ait vbi supra. q. 2 aptitudinem conuenientem ipsis quidditatibus, vel primis intentionibus in esse quidditatiuo.

Dubium.

Quæres, quomodo conuenit primis intentionibus? Dicitur, non in primo, sed in secundo modo dicendi per se: cùm sit respectus fundamentalis. Dices: ergo est demonstrabilis de prima intentione, velut & quęlibet passio de ꝓprio subiecto. Conceditur & hoc per quidditatem ipsius.

Cōcordātur Scot & Fran. à Io. Anglico.

Quò ad secundum, Dicitur à Io. Anglico Minoritano in libello suo de primis, ac secundis intentionibus, c. vlt. Secundam intentionem dupliciter considerari posse, scilicet aut formaliter & logicè; aut fundamentaliter, & substra-

ctiuè,

ctiuè, vel subiectiuè. Primo modo, secunda intentio est respectus, vel relatio rationis; & sic de ea loquitur Scotus. Secũdo autem modo est aptitudo talis, vel talis quidditatis, quæ ex natura rei inest. & hoc modo de ea loquitur Franciscus qui & est fundator considerationis Scoti; cũ ipse de fundãte, ac Scotus de fundata intentione secunda loquatur. Sed contra istum modum concordandi arguo. Supponit enim fundamentum secundæ intentionis esse proprietatem, seu aptitudinem fundamentalem: quod attamen esse falsum ostẽdo. Tum quia, talis proprietas à secunda intẽtione nequaquàm denominatur; nam esse participabile à pluribus speciebus, seu ipsis esse communicabile, nõ dicit denominatiuè species; patet, qa esse cõmunicabile homini, leoni, ac cæteris animalibus non prædicatur de homine, leone, sed est animal, quod de eis prædicatur: ergo & animal, & nõ proprietas eius, denominatiuè dicitur species. Tum quia proprietas est origo, à qua mouetur intellectus ad causandam intẽtionẽ: natura verò cuius est illa proprietas est fundamẽtum, seu subiectum illius intentionis, vt in Scoto q. 4. & 9.

Contra Io. Angl.

vniuersalium vidimus. Item tunc accipere secūdam intentionem pro substracto, esset eam accipere pro aptitudine: quod tamen est falsum. Quoniā vniuersale pro subiecto tunc esset aptitudo primi obiecti intellectus; & non esset obiectum primū intellectus, vt dicit doctor noster in præambulo post 3. q. Vniuersalium. Item Scotus in sua grāmatica quinto prænotato vult modum significandi (qui est secunda intentio grammaticalis) esse in rei proprietate vt in sua causa efficiēte radicali, & remota: materia autē & efficiens non coincidunt. 2 phys. tex. com. 70. ergo proprietas non erit fundamentum secundæ intentionis. Item iste modus concordādi est diminutus, cum non concordet Scoticas ac Mayronistas de primis intentionibus loquentes. Scotistę namq; rem in esse cognito, & Mayronistæ in esse quidditatiuo, primam intentionem esse contendunt. Hoc igitur modo cōcordandi hos viros relicto. Aliter ipsas non contradici ostendam. Scias igitur intentionē dupliciter accipi posse, vno modo vt idē est ac intus tendo. & sic intēdere est intus tendere. Et dicitur æquiuocè de actu intelligēdi, quo intellectus

Proprius modus cō cordādi.

Intentio, dupliciter accipi potest.

lectus

lectus intus tendit: ac de intentionibus exiſtentibus in re ex natura rei, per quas & de quibus fit prædicatio. Quæres, quare actus intelligendi dicitur hoc modo intentio? Dico, hoc ideo eſſe, quoniam mens actu ſuo tendit intra rem: & hoc vel determinatè in eſſentiã, vel præcisè in aliquid exiſtens in ipſa ex natura rei; ſic ꝙ non in aliud exiſtens aliquid eiuſdem rei. Quæres quomodo dicitur ſic intẽtio? Dico, quod formaliter, vt ex his quæ in primo articulo dicta ſunt, ſatis patet. Quæres etiam, quare exiſtentia in re ex natura rei dicuntur intentiones? Dico, quia terminant tendentiam intellectus qua tendit intra rem. Quæres quomodo dicũtur intentiones, Dico, ꝙ nõ formaliter, ſed obiectiuè. Quæres, quę ſunt iſtæ intentiones? Dico, omnia quæ ſunt de eſſentia formaliter, vel conſecutiuè: ſeu omnia de quibus fit prædicatio, vel per quæ fit prædicatio. Ex his ſequitur intẽtionem obiectiuè acceptam nihil aliud eſſe, niſi quidditatem præcisè acceptam: vel rationem, ſeu aliquid pertinens realiter ad eſſentiam, natum præcisè concipi absq; aliquo alio ſimiliter ad eandem eſſentiam pertinente, à

Actus intelligendi quare dicatur intentio.

Dubium.

Exiſtẽtia i re ex natura rei, quare dicũtur intentiones

Dubium.

Intentiones, quæ.

Intentio, quid.

quo realiter non differt. Pro huius intellectu quattuor notabis. Primò quidditatem precisè acceptam esse quidditatẽ in esse quidditatiuo, quid autẽ sit quidditas in esse quidditatiuo, de hoc statim infra. Secundo notabis rationem multipliciter accipi posse: quandoq; enim accipitur prout est rei dubiæ faciẽs fidem; quandoq; etiam pro discursu, aliquando pro potentia intellectiua: aliquando vt est modus aliquis rei, sub quo res nata est concipi determinatè, absq; hoc quod sub alio (sub quo nata est similiter concipi) concipiatur, hocq; vltimo modo accipio hic rationem. Tertio scias quòd pertinere ad essentiam alicuius stat dupliciter; vel scilicet realiter, vt omnia quæ essentiæ realiter identificantur; vel formaliter, vt omnia quæ in primo modo dicendi per se essentiæ competunt. His notatis, Dico: Quòd cum quodlibet existens intra rem, idest realiter identificatum rei, sit, vel ipsa quidditas, quæ est eadem realiter, & formaliter negatiuè sibi: vel ratio aliqua realiter identificata quidditati, distincta tamen formaliter ab ipsa quidditate, & ab alia ratione similiter ad eandem quiddi-

Quidditas precisè accepta quid.

Rō quotuplicitér.

Pertinere ad essentiam quotuplicitér.

tatem pertinente: ideo intētio hoc modo accepta nequit esse, nisi vel quidditas vel ratio, vt diximus supra. Quæ intētio diuiditur in primam & secundam. Prima intentio est quidditas in esse quidditatiuo, intelligendo per quidditatem in esse quidditatiuo, quidditatem præcisā ab omni alio quod nō est de primo modo dicēdi per se, cum enim quidditas sit prior quocunq; alio sibi formaliter non identificato, ideo sine quolibet tali cōcipi potest. Secunda intentio est aptitudo ipsius quidditatis, quę cū ipsa quidditate, & cum qualibet alia aptitudine eiusdem quidditatis est eadem realiter, licet non formaliter. Quęres quare quidditas dicitur prima intentio, & aptitudo fundamentalis secunda? Dico, quidditatem esse priorem aptitudine, velut causa effectu & subiectum passione: ideo cū vtraque sit intentio, quidditas erit prima, & aptitudo secūda. Ex his infero duo. Primo, intentionem primam non esse rem cognitam: probatur nam esse cognitum nō dat sibi esse primę intentionis, cum nec det sibi primo esse intra rē, quoniā prima intentio abstrahit ab esse in intellectu, & ab esse in re, vt q. 2. dicit Franci-

Prima intentio, quid.

Secunda intentio, quid.

Dubium.

Prima intentio nō est res cognita.

Secunda intentio non est relatio rationis. scus. Secundo infero, Intentionem secũdam non esse relationem rationis: probatur, quia nulla talis relatio identificatur realiter quidditati, nec per consequens est intra rem, quemadmodum est quęlibet intentio etiam secunda iuxta hunc modum dicendi. Alio modo accipi potest intentio, vt dicitur ab hoc quod est *Intentio, vnde dicatur.* in aliud tendo, & sic intendere est in aliud tendere, & ita quodcunq; in quod intellectus tendit dicitur intẽtio, vel sit illud tale in re ex natura rei, vel per rationem. *Intentio habet rationẽ motus.* Vnde animaduertendum, quod cũ intentio formalis, seu intellectio habeat rationem motus, ac motus respiciat terminum, seu finem habentem rationẽ termini, ideo & intellectio respiciet terminum, qui terminus dicitur intentio: duplex autem est terminus in quem intellectus intentione intendit, vel scilicet præexistens, & hoc est productum tantũ per intellectum in esse secundũ quid: vel productum per extremum intellectus comparatiui in esse simpliciter: primus terminus dicitur prima intentio, secundus verò secũda. Ex his infero duo. Primo, intentionem primam hoc modo non esse quidditatem in esse quidditati-

uo,

uo, probatur, nam esse quidditatiuum non constituit rem in esse intentionis, nec etiam primæ intentionis, vt ex tertio articulo patet. Secundo infero intentionem secundam hoc modo non esse respectum fundamentalem, tum quia talis non producitur per actum productiuum præsupponentem comparatiuum: tū quia secunda intētio hoc modo inest quidditati per rationem, respectus verò fundamentalis ex natura rei. Hoc supposito, Dico, Scotum ac Franciscū non cōtradicere sibi ipsis; ad auferendam enim contradictionem sufficit quelibet distinctio, seu diuersitas: cum igitur Scotus loquatur de intentione secundo modo, ac Franciscus primo modo, ideo nulla oppositio inter eos. Ex hoc sequitur, illud esse primam intentionem apud Doctorem subtilē, quod est secunda apud Franciscum. Vltimo soluenda sunt argumēta Francisci contra doctorem, ac Scotistarum contra Franciscum. Quæ omnia laborant in æquiuocis. Arguit enim Franciscus 1.d.23.q.2. Primo sic, Aptum natū esse in pluribus inuenitur in re, natura enim specifica habet talem aptitudinem seclusо opere intellectus; ergo & vniuer

Scotus ac Franc. nō contradicunt.

Argumenta Francisci contra Scotū

ſale cuius eſt talis definitio inuenitur in re, ſed vniuerſale eſt; ſecunda intentio, ergo ſecunda intentio eſt in re ſecluſo opere intellectus. Secundum argumentum ibidem ab ipſo poſitum tangit eandem difficultatem. Ad hoc primum, Dico, Aptum natum eſſe in pluribus, dupliciter capi: vel vt eſt aptitudo quædam inſequens naturam communem animalis, hominis, coloris, ac cæteras naturas cõmunes; iſtaq; ſecundum Franciſcum eſt ſecunda intentio, quia intellectus tendẽdo intra rem ordinatè, ſecundo tendit in hanc, cum & quidditas ſit prior aptitudine. Vel poteſt accipi pro relatione rationis cauſata ab intellectu, fundataque in illa natura cui⁹ eſt illa aptitudo, à qua aptitudine mouetur intellectus ad cauſandam talem relationem: & iſta relatio nec eſt intentio prima, nec ſecũda iuxta Franciſcum, ſed erit ens prohibitum, vt ſunt entia rationis ſecundum eundem q.6. & 7. quol. Hac ſuppoſita diſtinctione dicendum eſt, Aptum natum eſſe in pluribus primo modo, non autem ſecũdo modo, inueniri in re ſecluſa operatione intellectus, & vniuerſale per conſequens cuius eſt illa definitio erit in re.

Reſponſio

Aptũ natum eſſe in pluribus dupliciter capitur.

Quæ-

Quæres quid per vniuersale audit Franciscus? Dico, quòd per vniuersale intelligit, non naturā cuius est aptitudo, quia talis est quidditas, & prima intentio, sed communicabilitatem illius naturę, quæ dicit respectum ad illa quibus communicatur: & ideo sicut homo dicitur risibilitate risibilis, sic & natura dicitur aptitudine communicabilitatis vniuersalis; cum communicabilitas sit eius vniuersalitas: cuius definitio est: Aptum natum esse in pluribus. Hoc idem dicas ad secundum argumētum Francisci, distinguendo similiter de nō posse esse in pluribus. Vel aliter ad hæc duo agumenta respondeas, concedendo aptum natum esse in pluribus, & non posse esse in pluribus, esse in re præter operationem intellectus: non tamen hoc postea est verū de esse vel non esse aptum natum prædicari de pluribus. Differentiam horū intelliges recurrendo ad ea quæ dixi super q. 14. vniuersaliū Scoti, declarando quomodo prædicari sit intentionum per se, rei vero per accidens: esse verò è conuerso. Dubitabis contra Franciscū. Secunda intentio est respectus fundamētalis, indiuiduum non est respectus fundamentalis,

Vniuersale, quid.

Alia responsio.

Indiuiduum, an sit secunda intentio?

talis,

talis, ergo indiuiduum non est secunda intentio: Minor probatur. Nullus respectus fundamētalis sumit originem à sola negatione, sed indiuiduum sumit originem à sola negatione, vt dicit ipse vbi supra, in secunda parte secundę questionis: ergo &c. Possumus dicere, quòd à sola negatione in genere potest accipi aliquis respectus fundamentalis: non autem à negatione extra genus: illa modo à qua accipitur indiuiduum est negatio primo modo. Vel aliter dicas, quòd p. illam negationem circumloquimur aliquam passionem, velut & per irrationale aliquam differentiam. Dubitabis etiã contra Franciscum; videtur enim, quòd etiam sibi contradicat. nam vult vbi supra secundam intentionem esse aptitudinem; & tamen in secunda parte illius quęstionis asserit proprium sumi à respectu actuali conuertentiæ. Dico, respectum aptitudinalem, secundum ipsum Franciscum 1.d.7.q.2. tertiò preambulo, posse dici quodammodo actualem, sicut dicimus potentiam actualem generandi, & non formalem esse in Deo. Arguit tertiò Franciscum, ostendendo secundas intentiones ab anima non fabricari.

Responsio

Alia responsio.

Dubium.

Responsio

Tertium arg. Francisci.

cari.

cari. Totum & pars inueniuntur in rerum natura: sed ista sunt secundæ intentiones: ergo &c. Minor probatur: quia cuiuscunque pars subiectiua est secunda intentio, ipsum est secunda intentio: sed totum vniuersale est secunda intentio, & est pars subiectiua totius: ergo & cæt. Dico, Totum in proposito accipi posse dupliciter, vel pro habitudine fundamētali totius ad partem: ratione cuius valent consequentię positæ in Topicis. vel potest accipi pro respectu rationis causato in re ab intellectu moto à tali habitudine fundamentali. Primo modo totum erit secunda intentio secundum Franciscum, velut & habitudo totius vniuersalis ad suam partem subiectiuam: secundo verò modo erit ens prohibitum. sed iuxta principia Scoti, totum secūdo modo erit secunda intentio, & primo modo, prima. Arguit vltimo sic. Prioritas, & posterioritas sunt nomina secundarum intentionum, quia dicuntur de secundis intentionibus, vt potè de antecedente, consequente, de subiecto, prædicato, de vniuersali, & particulari: constat autem, quòd prioritas, & posterioritas sunt in rerum natura: ergo &c. Respon-

Responsio. *Totū dupliciter.* *Quartū arg. Francisci.*

Responsio ſpondeo: Prius, & poſterius dupliciter accipi queunt; vel pro quadam habitudine fundamentali prioris ad poſterius, ac è conuerſo; vel pro quodam reſpectu rationis exiſtente in generibus prædicamentorum, inquantum à ratione conſiderantur. De priori primo modo concludit Franciſci argumentum. Hæc ad Mayronis rationes dicta ſatis ſint. Sunt modò argumenta quędam Gulielmi de Rubione contra Frãciſci opinionem de ſecundis intentionibus ſoluenda. Arguit igitur 1. diſt. 23. quęſt. 2. art. 2. Riſibilitas non eſt ſecunda intentio: ſed riſibilitas eſt huiuſmodi aptitudo: ergò non omnis aptitudo fundamentalis eſt ſecunda intentio. Nec etiam poteſt poni aliqua ratio: quare vna talis aptitudo magis quàm alia ſit ſecunda intentio.

Prius, & poſterius dupliciter.

Rubionis argumenta contra Franc.

Responſio ad primũ arg. Dico, riſibilitatem eſſe reſpectum aptitudinalem, cùm inſit per ſe ſecundo modo, & reſpectum in actu expectet. Non autem fortè eſt reſpectus fundamentalis, qui licèt per ſe inhæreat fundamento; tamen terminum nec in actu, nec in potentia requirit: cuiuſmodi eſt ſecunda intentio. Vel aliter dici poteſt riſibilitatem (vt per tale nomen ſignificatur)

Riſibilitas nõ eſt ſecũda intentio.

Alia reſponſio.

tur) non abſtrahere ab eſſe in re, cùm in re eſſe poſſit, vt patet: ſecunda verò intentio abſtrahit à tali eſſe; ſecundū Franciſcum. Et ideo, licèt riſibilitas ſit aptitudo, non tamen dicetur ſecunda intentio, niſi ſignificetur per nomen proprij; vel per aliud huiuſmodi, per quod denotetur ipſam eſſe abſtractam ab eſſe in re, & in intellectu. Maior igitur ratio non eſt de vna aptitudine ſic abſtracta, quàm de alia ſimiliter abſtracta: Eſt tamen maior ratio de vna ſic abſtracta, quàm de alia non abſtracta. Arguit ſecundò Rubion. Si vniuerſalitas, ſiue prædicabilitas de pluribus numero differentibus eſſet aptitudo conueniens extra animam homini in ſecundo modo: ſicut ſequitur homo eſt riſibilis: ſortes eſt homo, ergo ſortes eſt riſibilis: ita conſimiliter ſequeretū homo eſt ſpecies, ſeu prædicabilis de pluribus: ſortes eſt homo: ergo ſortes eſt ſpecies: quod tamen eſt falſum. Ad hoc argumentum reſpondet Franciſcus 7. quæſt. quol. 2. puncto, dif. 3. Dicitque, quòd ſicut in indiuiduo eſt tota natura ſpeciei: ita eſt ibi communicabilitas illius naturæ: & ideo ſi accipiatur natura ſine hecceitate, talis dici-

Secūdum argu. Rubionis.

Reſponſio

Indiuiduo, quare repugnet communicabilitas.

tur

tur tunc communicabilis. Si verò accipiatur natura cum hecceitate: sic hoc totum ratione hecceitatis non est communicabile. Per hæc ad rationem dico. Quòd licèt sequatur sortes est homo: ergo sortes est risibilis: tum quia non abstrahit risibilitas ab esse in re: tum quia non ponitur in sorte aliquid cui repugnet risibilitas: tamen minimè sequitur: sortes est homo: ergo sortes est cõmunicabilis. Tùm quia communicabilitas abstrahit ab esse in re: tùm quoniam ponitur in sorte aliquid cui communicabilitas repugnat. Arguit tertio Rubiõ.

Tertium argu. Rubionis.

Syllogismus, propositio, definitio, & similia quorum nullum importat talem aptitudinem, dicuntur secundæ intentiones: ergo &c. Dicitur à Francisco q. 7. quol. puncto 4. complexiones obiectiuè esse extra in re, vbi sunt earum termini, & habitudines, & designatę per ipsas compositiones. Sed in duobus dubitabis. Primo. In definitionibus generis, ac speciei ponitur ens rationis, scilicet actus predicandi; ergo illæ definitiones, & per consequens definita erunt entia rationis. Secundo dubitabis de propositionibus in quibus idem de se ipso prędica-

Dubium.

Secũdum dubium.

dicatur: nam inter predicatum & subiectũ nulla est distinctio, nisi rationis. Ad primum dubium, Dicitur, Predicari accipi posse dupliciter: vel pro habitudine subiecti ad prædicatum, quam denotat cõplexio, & ista est realis: quia alter terminorum est idem realiter cum altero, vt cum dicitur homo est animal. Vel pro comparatione vnius ad alterũ, quæ est apud intellectum: & ista comparatio est realis: cum sit realis consideratio. Ad aliud dubium dicitur q. 7. quol. puncto 4. dif. prima. Quòd quando formatur talis complexio: tunc sicut isti duo termini sunt distincti numero in voce: ita & in imaginatione figurantur duo termini: & isti sunt semper realiter dictincti: verum tamen est quòd apud rationem non respondet nisi vnus terminus isti complexioni, velut & in re. Hoc declaratur. Cum quæritur de propositione immediata, quare homo est animal rationale? solet responderi, quia homo est homo: & tamen constat positionẽ immediatam resolui tantum in terminos: vnde si apud rationem essent duo termini, tũc secundũ rationẽ non esset eiusdẽ omnino de se ipso. Et ideo in omni pro-

Responsio. Prædicari dupliciter sumitur.

Responsio ad secũdũ dubiũ.

Cũ idem de se ipso prædicat. est distinctio realis inter subiectum, ac prædicatum.

positione in qua idem de se ipso prædicatur, nisi sint synomina, prædicatum & subiectum distingũtur realiter. Obiicies in re tunc non est vera compositio: ergo nec in ratione: Imò imaginatio erit falsa: cum in re sit vnicus terminus, & imaginatione figurentur duo,

Obiectio.

Dicitur, quòd sicut nō videtur falsa imaginatio, cum Deum imaginamur cum lineamentis corporis: ita nec in proposito: vel eo modo quo illud est falsum: ita & hoc.

Solutio.

Arguit quarto Rubion. Aptitudo est verè prædicabilis de conceptu supponente pro re extra animam: secunda autem intentio significat tantum ens in anima subiectiuè existens: ergo &c.

Quartũ argu. Rubionis.

Responderet negando minorem. Arguit quinto loco. Considerans propriã passionem habet considerare etiam eius subiectum secundum suam propriam rationem: sed logicus habet considerare intentiones secundas, quæ sunt passiones rerum extra: ergo & quidditates illarum passionum: sed hoc est falsum: ergo & hæc opinio.

Quintũ argu. Rubionis.

Ad hoc argumentum potest negari maior. Quàmuis enim subiectum ponatur in definitione met. accidentis copulati 7. met. tex.

Responsio

com.

com. 4. non tamen est necesse quòd à definiente passionem consideretur subiectum secūdum eius propriam rationem: & ideo licet etiam secundæ intentiones essent accidentia copulata, non tamen logicus habet considerare quidditates illarum aptitudinum per se secundum propriam rationem. Quæres an secundæ intentiones sint accidentia copulata? Potest dici, accidentia copulata esse quæ determinant sibi subiecta; & cū intentiones secūdę non determinent sibi subiecta: ideo non erunt accidentia copulata. Obiicies nam respectus fundamentales, velut & cæteræ passiones determinant sibi subiecta: ergo & istæ intentiones. Dico, respectus fundamentales transcendentes non determinare sibi subiecta: secus autem est dicendum de respectibus aptitudinalibus limitatis. Arguit vltimò Rubion. Quilibet terminus significās aptitudinem rei extra animā, est prædicabilis de alio termino pro illa re extra animam supponente: sed terminus secūdæ intentionis, vt genus, vel species nō ęst prędicabilis de aliquo supponēte pro re extra, sed tantumodo pro se ipso: ergo &c. Minor probatur: quo-

Secundæ intentiones, an sint accidentia copulata?

Obiectionis dilutio.

Sextū argum. Rubionis.

niam cum arguitur homo est species: sortes est homo: ergo sortes est species: non sequitur conclusio propter variationem medij: nam in maiori homo supponit simpliciter pro se ipso, in minori autem personaliter, vt cōmuniter dicitur: quod attamen dicendum non esset si terminus secundę intentionis esset prędicabilis de aliquo supponente pro re extra.

Responsio Ad hoc argumentum dicere possumus maiorem vniuersaliter esse falsam: quādoq; enim aliqui duo termini significāt rem eandem extra, vt homo & humanitas, album ac albedo, & tamen ratione modi significandi vnus de altero dici nequit. Quicquid tamen sit de veritate huius maiori. Dicendum est ad minoris probationem. Intentiones secundas abstrahere ab esse in re, & in intellectu; in talique esse quidditatibus similiter abstractis conueniunt: ac ideo, & si in sorte sit natura hominis, ac animalis, quia támen in eodem est hecceitas determināns talem naturām: de ipso toto sorte ratione hecceitatis non potest dici species: & ita variatur medium in tali ratione formata, eò quòd in maiori homo accipitur secundum esse quidditatiuum,

Intentiones secūdæ abstrahunt ab esse in re, & in intellectu.

in

Intentio capi potest, vel

- *Formaliter*
  - *pro actu primo, & est, vel*
    - *habitus inclinans*
      - *voluntatem*
      - *intellectum*
    - *potentia tendēs in aliud, siue hoc habeat*
      - *ex se vt vo*
      - *ab alio*
  - *pro actu secūdo, & est actus vel*
    - *apprehendendi*
      - *intellectus.*
      - *sensus.*
    - *appetendi*
      - *intellectiuu*
      - *sensitiuus.*
- *Obiectiuè, & hoc vel pro*
  - *illo in quod tendit*
    - *intellectus, & est vel*
      - *in quod te*
      - *rō formalis*
    - *voluntas.*
    - *sensus.*
  - *aggregato ex illo in quod potentia tendit, & ex*
  - *relatione rationis concomitante obiectum, in q*

in actum.

tas.

proprie,vt intellectus.
non ita proprie,vt appetitus sensitiuus.

absolutus
relatiuus — finis vltimi dilecti ad diligentem. / eorum quæ sunt ad Deum,vt ad finem.

t, vt in
- simpliciter præsuppositũ
  - ad quod potentia naturaliter inclinatur.
  - quod est naturaliter attingibile
    - motiuè
      - pro statu i
      - p natura p
      - pro alio sta
    - terminatiuè
      - per se prim
      - per se non
- causatum
  - per extremum actus comparatiui.
  - per alium actum intellectus, si tale datur.

iectiua
- sub qua tendit,estq; definitio.
- per quam tendit,& est spetics intelligibilis.

dentia obiectiua.

intellectus tendit.

Hac

in quo abstrahit ab inferioribus: non sic verò est in minori. Et hæc ad Rubionis rationes dicta sufficiant. Sunt etiam aliqua argumenta Antonij de Fantis in suo speculo rationali diluenda, quibus opinionem Francisci impugnare nititur. Arguit primò ostẽdẽdo hãc opinionem rationi congruã minime esse. Tum quia, ait: tunc nõ videtur ratio quare dialectica rationalis appelletur, si secundæ intẽtiones fuerint rerum aptitudines. Tum quia ponent intentiones in intentionibus secundis: nam veluti animal dicitur genus, quia de spetie differentibus prædicabile: ita & vniuersale respectu prædicabilium inferiorum. Tum quia quomodò procedetur in infinitum in intentionibus secundis? quod non voluit esse impossibile Auicennas primo Metap.

Anto. de Fantis argum. contra Mayro.

Ad primum dicitur à Francisco quæst. 6 quol. 17. puncto. Scientias dici rationales; non quia sint de figmentis, seu de entibus fabricatis ab intellectu negociante circa rem; sed quia sunt de actibus rationibus realibus. Et sic logica rationalis dici debet. Ad aliud dicitur, communicabilitatem considerari posse dupliciter, vel vt est naturalis passio quidditatis; vel

Logica, quomodo rationalis dicĩ à Franc.

Communicabilitas dupliciter accipitur.

vt est quidditas quædam in esse quidditatiuo reponibilis fortè (saltem de limitata loquendo in aliquo prędicamento. A communicabilitate primo modo accipitur vniuersale, quia accipitur vt passio. Secundo verò modo est prima intentio, ipsaq; est cōmunicabilis respectu huius & illius cōmunicabilitatis. Ad tertium patet quod procedit de intētione, vt dicitur ab hoc quod est in aliud tēdo. Hæcq; de hac difficili quæstione dicta sufficiāt.

F I N I S.

Series chartarum.

★ A B C D E F G H I.

Omnes sunt Quaterniones, pręter I, quę est Duernus.

Venetiis, 1591.

Apud Io. Antonium Rampazettum.